DISSERTATIO ACADEMICA DE NONNULLIS ANTILOGIIS EX PENTATEUCHO, ET…

DISSERTATIO ACADEMICA
DE NONNULLIS ANTILOGIIS
EX PENTATEUCHO, ET QUATUOR EVANGELIIS
ADNOTATIS
ET EX HEBRÆO, GRÆCOQUE IDIOMATE COMPOSITIS
A PATRIBUS AUDITORIBUS
ALMI
D. THOMÆ AQUINATIS
LICÆI NEAPOLITANI

F. THOMA M. MONGIARDINI F. AMBROSIO M. VIVIANO
F. ANTONINO M. DE SERIO F. VINCENTIO M. GIUDICE

IBI EXERCITII ERGO
PUBLICE INSTITUENDA MENSE SEXTILI
AUSPICE
FRATRE JOACHIMO MAJO
Sacræ Theologiæ Baccalaureo, Matheseos, Linguarum Orientalium, ac Eloquentiæ Antecessore.



NEAPOLI FORMULIS SIMONIANIS MDCCLIX.
Publica ex Facultate.

Cum diversum aliquod in utriusque Testamenti codicibus invenitur; quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, & Linguæ potius credendum, unde est in aliam per Interpretes facta translatio. August. lib. 15. de Civit. Dei c. 13.

Sicut in Novo Testamento si quando apud Latinos quæstio exorta est, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento quando inter Græcos Latinosque varietas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Hieron. epist. ad Suniam, & Fretellam; & epist. ad Lucinium.

Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Gratian. in Jur. Can. a Pontif. promulg. dist. 9. cap. *Ut veterum*.


Hæ tibi sunt artes pacisque imponere morem
Virg. Æneid lib. 6
Publica privatis secernere, Sacra profanis
Horat. Art. Poet.
MARCHIO NICOLAVS FRAGGIANNI A SACRATIORIBVS VIRISQVE SICILIÆ CONSILIIS
Cũ tu inter Scabiẽ tantã, et contagia lucri
Nil parvũ sapias, et adhuc sublimia cures
Horat. Epist.

NICOLAO MARCHIONI FRAGGIANNIO
EX BARULENSIBUS ET LUCERIANIS PATRICIIS
UTRIUSQUE SICILIAE REGIS
A SACRATIORIBUS AULAE SANCTAE CLARAE CONSILIIS
QUINQUEVIRO
INTER QUATUOR AULARUM SUPREMI S.R.C. PRAEFECTOS
ADCENSITO
REGALIUM IURIUM CUSTODI PERVIGILI
CIVICAE ANNONAE UBERTATI
RERUM PUBLICARUM RATIONIBUS
PAUPERUM CURAE GERENDAE
STATUIQUE URBIS ADMINISTRANDO
PRAEPOSITO
HIS MUNERIBUS ALIISQUE TITULIS
SPECTATISSIMO
VERUM PROFUNDIORI SAPIENTIA MAGIS
SUAVITATE MORUM INGENII DEXTERITATE
AC LEGUM MUSARUM LITTERARUMQUE PRAESIDIO
UBIQUE GENTIUM COMMENDATISSIMO
FR. IOACHIMUS MAIUS ORD. PRAED.
IN ALMO D.THOMAE AQUINATIS LICAEO NEAPOLITANO
LINGU. ORIENT. MATHES. AC ELOQ. PROFESSOR
IPSIUS LICAEI NOMINE
QUALECUMQUE HUIUSCE ACADEMIAE EST
TUTELARI

PROŒMIUM.

JUcundum sane fuit, amplissimi Viri, & pro humoni captus imbecillitate non parum necessarium, sacrorum Bibliorum litteras secundum varias ætates, populorumque regiones per diversa idiomata ad nos usque latine traduci, ut omnes gentes propriis linguis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ audiendo in unitatem fidei convenirent; illudque Isaiæ impleretur: mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua: at inde dubio procul, ut neminem præterit, tot potissimum emerserunt Sacri Codicis antilogiæ, & verborum adversitates, quibus ad ipsa divina oracula plus nimio criminanda nefarii viri perfricto contenderunt conatu; & ad divina verba perscrutanda non parum semper insudarunt Theologi. Quemadmodum enim marinæ aquæ per terræ rimas traductæ ipsius indole vestiuntur, ita sacrosancta Dei eloquia per varios exoticarum linguarum ductus ad nos usque translata, illarum proprietates, formulasque secum ferre necessum fuit; & uti Hebræa primum extiterunt, teste Hieronymo, ac dein Syriaca, Ethiopica, Scytica, Persica, Indica, Armena, Græca, ac tandem Romana, seu Latina, ut animadvertit Augustinus, Theodoretus, & Chrysostomus: ita dissitarum hujusce linguarum idiotismis, affectionibusque undique tincta, & perfusa conspiciuntur. Hærent propterea in Vulgata nostra omnium fere linguarum charocteres, & notæ. Heic Hebraici idiomatis apparent ancipites dictiones, pondus, brevitas: heic Chaldæorum paraphrasis: heic Græcorum copia, hellenismi, inflexiones, varietas; at neque id tantum, heic & phrases, & verba ipsa seu Hebræa, seu Chaldaica, seu Syriaca, seu Arabica, seu Græca, seu ceterarum linguarum quaquaversum elucent,

quæ

quæ ex Augustino in usum alterius linguæ per interpretationem transire non potuerunt. *En igitur, ut de aliis reticeamus, unde divina eloquia plus nimio obscuritate perfusa, & ambiguitate perplexa ad hanc nostram pervenerunt ætatem; en unde præsertim tot sacrarum litterarum emerserunt antilogiæ: en pro viris Theologis veterum orientaliumque linguarum summa necessitas. Si namque his implicatæ tricis Sacræ Litteræ ad nos traductæ fuerunt, quibus expediendis non Sapiens quivis, sed avoticorum sermonum interpres unice est adhibendus; quis poterit hisce firmis destitutus præsidiis ad oracula divina sacris paginis conclusa, & ad theologica adyta, quæ ex istis prorsus pendent absque erroris periculo animosas admovere manus? Servile profecto erit pecus, quod in re divina nonnisi aliena poterit lingua loqui. Hac ex causa Viennense Concilium firmissimo sancivit decreto, ut orientalibus linguis universæ christiani orbis academiæ sedulam navarent operam. Id Gregorius XIII. peregrinarum ejusmodi linguarum magistris undique Romam accitis, illustri firmavit exemplo. Id & Paulus V. & reliqui subinde Pontifices constituerunt, qui studia isthæc ad Monachos traducere, maximisque præmiis ad illa desides excitarunt. Et licet Vulgata Editio tanti valeat, ut sine crimine ei nemo contra ire queat, eamque Tridentina Synodi firmaverit auctoritas; ubi tamen theologica ratione est interpretanda, nisi ab orientalibus litteris, ceu ex fontibus, præsidium quis arcesserit, parum se profectum iri cognoverit. Ut ergo quanti hæc studia in re theologica valeant exemplo reddere valeamus, nos qui iisdem ad sacram theologiam provehendam per subsecivas saltem horas ex hujus almi Licæi legibus addicti sumus, hanc nostram exercitationem e vestro amplissimo conspectu de Antilogiis iisdem Sacri Codicis per hujuscemodi linguas exsolvendis, vel leviter nunc instituere satagimus. Hanc æqui bonique excipite, Auditores; & si nihil aliud, saltem animum nostrum probate.*

EX MOYSIS PENTATEUCHO

A N T I L O G I Æ

Ad normam Hebraici Idiomatis exactæ.

PENTATEUCHUS græce sic dictus a πέντε *quinque* & τεῦχος *alveus*, *volumen* quasi quincuplex, seu quinque voluminum liber, & ab Judæis חמשה חומשים *Hhamesch Hhomisim*, seu *quinque quinta*, eo quod quinque comprehendat a Moyse exscriptos de Mundo, & de Populo Dei seu quod ad facta, seu quod ad leges, seu quod ad regimina, seu quod ad duces, & pontifices tractatus, a Manichæis quondam in discrimen revocatus, ut refert Augustinus (1) velut a principe tenebrarum dictatus · constanti Ecclesiæ ductu, & firma fide fuit omni tempore inter protocanonicos Divinos libros honorifice accensitus, & habitus. Quoniam autem Manichæis juncti Nazaræi hæretici teste Epiphanio (2) Pentateuchum Moysi quidem tribuebant, sed omnia in eo contenta, ceu conficta iniquo ore execrabantur, indeque innumeras sive vocum, sive rerum pugnas in ea insano etiam animadvertebant captu; idcirco & Patres & Doctores omnes Ecclesiæ ad sartam tectamque ejus sacram doctrinam tuendam vires impulerunt. Quod prisca illa Christianorum ætate nefarie conati sunt & Nazaræi, & Manichæi, hoc nostro ævo impio studio pro aris & focis fategerunt recentiores hæretici, quorum non pauci adversus sancitos Moysis libros linguam, calamumque ita acuerunt, ut nec verbum quidem in eis sine nota reliquerint (3), utque id liberiori peragerent mente ad Orientales linguas veluti ad asylum confugere consueverunt. Nos ergo de nonnullis, quas seu nefarii isti homines, seu alii cordatiores producunt ex Pentateucho antilogias, ad normam hebraici idiomatis exercitii ergo edisserendum proponimus.

EX .

(1) August. in lib. de hæref.
(2) Epiph. hær. 18.
(3) Præ ceteris in Moysen nuper prodiit Tractatus Theologico-Politicus, cujus Scriptor, ut ferunt, fuit Benedictus Spinoza, qui acerbitatis suæ virus in Pentateuchum præsertim evomit venenis seu ex Aben-Ezra expositionibus, seu ex Præadamitarum systemate, seu ex Thomæ Hobbesii Leviatan collectis.

EX LIBRO GENESEOS.

In Principio creavit Deus Cœlum, & Terram. Gen. 1. v. 1.

Ab initio & ante sæcula creata sum. Eccli. 24. 14.

Aggredientibus igitur nobis ad Pentateuchum principio occurrit versiculus prior ex capite primo Geneseos sic Hebraice exscriptus בראשית ברא אלהים את אשמים ואת הארץ *Beresest bara Elohim & asciamaim vehet haaretz*; nempe latine redditus *In principio creavit Deus cœlos, & terram*. In hoc autem textu ad lancem expenso tot tantæque ex aliis sacri codicis textibus ab iis, qui quærunt in scirpo nodum, adnotantur vocum antilogiæ; ut nihil prorsus in eo deprehendatur, cui ex diversis Divinæ scripturæ locis, seu quod ad vocem, seu quod ad sensum statim aliud non respondeat contra. Ne autem plura heic nos simul congerere videamur, membratim illum, & singula quod ad verba ad Hebraici idiomatis, cui unice insistimus, normam omnes ejusmodi dirimendo antilogias enixe interpretari connitemur.

I.

IN PRINCIPIO.

Voculæ huic priori Geneseos בראשית *Beresit*, *seu In principio* captu statim dissona, & sensu adversa objiciuntur divina illa vocabula, quæ exstant penes Ecclesiasticum (1) in Canone Græcorum, & in Vulgata dumtaxat, ab Hebræis namque hic liber numquam Canonicis litteris fuit accensitus (2): nempe *πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με*, *seu ante sæculum ab initio creata sum*. Uti etiam contra respondere videntur quæ exscripsit Joannes (3) in sui Evangelii exordio, nempe
Ἐν

(1) Eccli. 24. 14.

(2) Ecclesiastici Liber, qui non a Salomone, sed a Jesu Filio Syrach exscriptus fertur, etsi magni semper ab Hebræis habitus fuerit, apud quos hac circumferebatur epigraphe משלי בן סירח *Misele ben Sirahh*, *Proverbia Filii Sirahh* teste Hieronymo in Præphat Provi. & ad Chromatium scribente *Fertur & πανάρετος Jesu Filii Sirahh liber, quem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, sed Parabolas prænotatum*, numquam tamen Sacrorum Librorum Canoni fuit ab Hebræis adscitus, sed ab alio Jesu ejusdem nepote græce redditus Ptolemæo Evergete in Ægypto regnante anno ab Urbe condita tercentesimo septingentesimo per Concilium Carthaginense tertium cap. 47 inter Deuterocanonicos sub nomine Salomonis, seu quod ex ejusdem libris fuerit excerptus, seu quod ita vocitari annuerit, receptus fuit. Eidem subscripserunt Innocentius, & Gelasius Pontif. qui eum librum Sacris inseruerunt Scripturis. Videatur Sixtus Senen. in Bibliotb. lib. 1. sect. 2.

(3) Joan. 1. 1.

ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, seu *In principio erat Verbum*. Quamquam enim una eademque sit dictio quopiam laudato in textu, & eodem prorsus redeant verba בראשית *Beresit* hebraice, ἀπ' ἀρχῆς, vel ἐν ἀρχῇ græce, atque *In principio* latine, uno dumtaxat idiomate immutato, ad lancem tamen catholicæ Religionis expensa diversam dubio procul, imo & adversam præseferunt intelligentiam, ac sensum. Verba sane Geneseos, *In principio* quod ad litteram rerum conditarum, ac temporum exordium indicant, velut dicerent *Ante Omnia*: nam uti adversus Hermogenem instabat Tertullianus (1) *dixisset, in fine fecit Deus cælum, & terram, si post omnia fecisset*. Ita ceu de communi mente censuerunt generatim Patres (2) & Ecclesiæ Doctores, atque ex hisce refellerunt & Aristotelem mundum æternum opinantem, & Epicurum, aliosque res omnes ex fortuito atomorum congressu, aut natura cogente constituentes, & Judæos Angelos, vel quidpiam aliud ante cælum, & terram extitisse affirmantes, & Præadamitas homines ante Adamum recognoscentes, veluti aptissimo ex jaculo everterunt. Quamobrem Ecclesia in Concilio Lateranensi (3) illud edidit dogma. *Firma fide credendum est, Deum ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem, & corpoream, angelicam, & mundanam.* Verba vicissim Ecclesiastici ἀπ' ἀρχῆς, vel Joannis ἐν ἀρχῇ, seu *Ab initio*, vel *In principio* non temporum profecto rerumque initium, sed reapse æternitatem, quam nulla temporis circumscriptio metitur, liquido ostendunt, quum nec Sapientia Dei, nec Dei Verbum Patri consubstantiale & coæternum umquam sui ortus recognoverit tempus, temporisque initium, ut contra Arianos, aliosque nefarios homines & in Niceno, & in aliis Conciliis semper professa fuit Ecclesia. Velut igitur tempus æternitati adversatur, ita recensita omnia verba antilogiam dicere videntur. At ne diverticulum a re nostra faciamus, nolumus heic in mentem revocare notiones omnes seu allegoricas, seu anagogicas, quibus præfata Geneseos verba reddunt Sancti Patres, & Interpretes (4), & potissimum ad indicatam antilogiam ablegandam conducunt; adeamus dumtaxat hebraicum idioma, in quo ad examen redacto vocis בראשית *Beresit* etymo, omnis sane evanescet verborum sensus adversitas. Hujuscemodi vox, ut habemus ex Rabb. Dav. (5) ex Rab. Abr. (6) & ex Sancte Pagnino (7) coalescit ex præpositione ב *Bet In*, & voce diminuta ראשית *Resest*, seu *Princi-*

B *pium*.

(1) Tertull. adver. Hermog. cap. 29.
(2) Ambros. lib. 1. Hexamer. cap. 5. D. Aug. 1. de Genes. ad litt. c. 1 lib 11. de Civ. Dei c. 2. & 22 & lib. Confess. 28. Tertull. loco cit. Athan. lib. 3. c. Arian. Iren. lib. 2. c. 2. aliique, quos Basil. in Hexamer. refert.
(3) Concil. Later. in Cap. *Firm.* de Summ. Trin.
(4) Vide Thomam Malvenda in Comment. S. Script. t. 1. ad præfata verba.
(5) Rabb. Dav. in lib. radic.
(6) Rabb. Abeza, in comm. ad Genes.
(7) Pagnin in thes. ling. sanc. ad verb. ראש *Reso*.

pium emergente ex radice ראש *Ros*, quæ eodem redit, ac latine *caput*, *dux*, *princeps*; *principium*, *initium*, *vertex*, *fastigium*, *summa*, & res quoque summas, ac præcipuas suapte natura designat, quare vox ראשית *Resit* cum sit diminuta, reliigitur inter alia apud Hebræos ad designandum principium, initium, primitivum, aut primitias seu *temporis*, seu *dignitatis*; & sæpe pro eo, quod in re quapiam summum, & præcipuum est, usurpatur (1). Vox autem istæc cum sit anceps, ambigua, & sensu multiplex, vario perinde sensu in ipsa eadem Divina Scriptura diversis in locis occurrit adhibita, potissimum nunc ad temporis initium, nunc ad dignitatis, nobilitatisque originem ostendendam, uno duntaxat discrimine, nempe ut docent Hebraici idiomatis, & Sacri codicis eruditi, cum denotat seu temporis, seu rei cujuslibet exordium, ut plurimum junctam præpositioni ב *Bet* easscribi, cum vero aut originem nobilitatis, aut præcipuum, summumque rei cujuslibet ostendit, absque illa præpositione reddi. Immo animadvertunt sagaciores Interpretes eam vocem haud solum præpositioni affixam ad indicandum tempus adhiberi in Divino eloquio, verum & in regimine casus genitivi, nempe *temporis* vel expressi, vel subauditi; veluti diceret בראשית *Beresit In principio* temporis, vel vesperæ, vel noctis, vel tenebrarum, vel diei, vel regni. Ita in Jeremia legimus (2) בראשית *Beresit In principio regni Sedecia*, & (3). *In principio regni Joakim*; & alibi frequenter. E contra vero de origine nobilitatis, & dignitatis legimus in Psal. (4) ראשית *Resit*, scilicet. *Præcipua*, & *summa sapientia timor Domini*; in Proverb. (5): *Timor Domini initium scientiæ*; & (6). *Dominus possedit me principium viæ suæ*. Voces autem ἐν ἀρχῇ, ἀπ' ἀρχῆς cum descendant ex nomine ἀρχὴ themate, quod significat *principium*, *principatus*, *imperium*, extremum promiscue ad indicandum quodlibet principium a Græcis ipsis adhibentur. Ex hisce jam, ut cuilibet lustranti patet, omnis evanescit præfata antilogia. Equidem vocem בראשית *Beresit*, seu *In principio* capitis primi Geneseos jam liquet *initium temporis* præseferre, seu ex præpositione ב *Bet* superaddita, seu ex casus genitivi, nempe *temporis* regimine subintellecto, seu ex iis, quæ sequuntur, in quibus totius creationis ordo enarratur. Voces vero ἐν ἀρχῇ, ἀπ' ἀρχῆς in canone græco, quæ leguntur in Ecclesiastico (7), & Evangelio Joannis (8) principium, originemque dignitatis designant, & æque respondent iis, quæ habet Salomon in Proverbiis (9), nempe *Dominus possedit me initium viæ suæ*, ubi vox *initium* per verbum ראשית *Resit* absque præpositione exhibetur. Quare

ex

(1) Id habet Pagnin. loco laud.
(2) Jerem. 49. 34.
(3) Jerem. 26. 1.
(4) Psalm. 3. 10.
(5) Prov. 1. 7.
(6) Prov. 8. 22.
(7) Eccli. 24. 14.
(8) Joan. 1. 1.
(9) Prov. 1. 7.

ex hoc eodem verbo sic exscripto, & ex iis, quæ exstant in iisdem textibus seu ante, seu post, jam aperte conjicimus, Scripturam non de tempore, sed de sempiterna genesi Divinæ Sapientiæ, & Verbi Dei loqui, indeque etsi unum idemque fere verbum quocumque in laudato textu depingatur quod ad vocem, nulla tamen inter eosdem relucet antilogia quod ad sensum.

II.

CREAVIT.

Quæ in laudato Geneseos textu subjungitur vox ברא *Bara*, seu *creavit* ob sui ambiguitatem, plures videtur habere cum aliis Scripturæ locis adversos sensus, ac perinde quam plures creditur ingerere antilogias. Quamquam enim verbum illud Septuaginta verterint ἐποίησε, hoc est *fecit*, dubio procul non de qualibet formatione catholico captu excipiendum est, sed de productione rerum ex nihili barathro unica Conditoris Omnipotenti virtute, uti Divino instruimur eloquio (1), quo sensu a Patribus rejectus fuit error priscorum Philosophorum, qui materiam Deo coæternam, ex qua Mundus conditus fuerit, somniarunt, uti Pythagorici, & Zeno cum Stoicis suis, ipseque Plato: atque exinde etiam profligata fuit protervia illorum hæreticorum, quos Tertullianus (2) *Materiarios* vocitat, nempe Hermogenem, & Marcionem, quibus adhæserunt Herminiani apud Augustinum (3). Hæc autem vox sic intellecta statim adversa videtur iis, quæ leguntur apud Ecclesiasticum supra laudatum (4): Πρὸ τοῦ αἰῶνος ἔκτισέ με: *ante sæcula ab initio creavit me*, & iis, quæ sequuntur in eodem Geneseos capite: *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ* (5); *iterumque* (6): *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*; & capite secundo (7): *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ*; etenim Sapientiam, seu Dei Verbum, de quo loquitur Ecclesiasticus, neque creatum, neque formatum, neque factum ex nihilo, sed unice genitum fuisse catholico corde, & ore fatendum est; sicuti dum legimus, creasse Deum cete grandia, & hominem, ex eadem instruimur Scriptura, non de nihilo fecisse, sed cete grandia ex aquis, hominem vero de terræ limo produxisse. At ne diu in hisce immoremur ad libellam Hebraicam expendamus verbum ברא *Bara Creavit*, & ad trutinam Græcam verbum ἐποίησε *fecit*, & dubio procul omnis antilogia effugiet. Verbum igitur ברא *Bara*

Crea-

(1) Eccl. 18. 1. Macchab. 2. cap. 7. & 18. Paul. ad Colos. 1. 16. & alibi.
(2) Tertul. advers. Hermog. cap. 25.
(3) August. hær. 39.
(4) Eccl. 24. 14.
(5) Genes. 1. 21.
(6) Genes. 1. 27.
(7) Genes. 2. 7.

Creavit, ut animadvertit Pagninus (1) proprio sensu excipitur pro omni actione, qua Deus aliquid omnipotentia sua extra se producit, uti actio ipsa Dei a quapiam alia actione seu hominis, seu cujuslibet alterius creaturæ discriminatur. Deus enim sua Divina virtute aut ex nihilo aliquid facit, quod prius non erat, aut ex materia non apta novo modo & unica sua Omnipotentia aliquid condit, qui posterior creandi modus ex locis innumeris sacræ Scripturæ, quos brevitatis ergo relinquimus, luculenter apparet; & hoc pacto differt a verbo יצר *Jatzar* quod est *formare* secundum Rabbi David, & communiter usurpatur de re quapiam corporea præstita sensibilibus potentiis, non autem de innovatione rei, quæ de nihilo ad existentiam procedit. Verbum autem ἔκτισε etsi quod ad sui naturam denotet *condere*, *creare*, *fabricare*, uti habet Henricus Stephanus (2) attamen, cum secundum Græcos Scriptores (3) verbum κτίζω sit forte a κτάομαι *possideo* redigitur ad id, quod habet Pagninus (4) ad verbum קנה *Kana*, nempe eodem redit ac *acquirere*, *possidere*, *emere*, *& in potestate sua habere*, uti legitur pluribus Sacræ Scripturæ locis (5). Ad rem igitur nostram, dum legimus in Ecclesiastico (6): *Dominus creavit me*, & græce ἔκτισε, vel Hebraice קנה *Kana* eodem ex Hebræo, & Græco etymo recidere intelligimus, ac latine *possedit*; quare laudatum Ecclesiastici textum, *Ab initio, & ante sæcula creavit me*, æque respondere conjicimus iis, quæ Salomon in Proverbiis exscripsit (7). *Dominus possedit me initium viæ suæ*, sic igitur litterali quidem capiti ad æquam idiomatum lancem exactis præfatis verbis ברא *bara*, ἔκτισε, *creavit*, jam in nihilum abire omnem analogiam deprehendimus. Illud quoque hic notatu dignum dijudicamus, quod unanimi mente animadvertunt Patres in laudatum Proverbiorum textum: *Dominus creavit*, *aut possedit me*, hoc est *procreavit*, & *genuit*, & sempiterna genesi *possedit* me tamquam Filium suum sibi omnino æqualem: possessio enim, ut notat Hieronymus (8), designat quod semper in Patre fuerit, ideirco in eodem textu subjunguntur voces illæ *ante sæculum*, *an initio viarum suarum*, *antequam quidquam faceret a principio*, ad indicandam nempe æternitatem, & Filii cum Patre in eadem natura æqualitatem, quare dum Septuaginta reddunt, *Dominus creavit*, ut in Ecclesiastico, non intelligunt creationem ex nihilo, quam absurdam agnoscunt *ante sæculum*, *antequam quidquam faceret a principio Deus*, sed generationem, & procreationem, usurpando quod nobis frequenter usui est ad Divinam gene-

(1) Pagn. in thes. ad præf. voc.
(2) Conf. Henr. Steph.
(3) Homerus, Lucian aliique passim.
(4) Pagn. ad præfat. verb.
(5) Genes. 25. 10. & 47. 22. & 49. 29. Deuter. 22. 6. & alibi.
(6) Eccl. 24. 14.
(7) Prov. 8. 22.
(8) Hieron. epist. ad Cyprian.

genesim hominum sensui aptandam. Id habent præ ceteris Hieronymus laudatus, Tertullianus (1), Athanasius (2). Ex hisce quod ad litteram expensis, quam dispar sit & Geneseos, & Ecclesiastici locutio, nemo non videt. Ob duplicem rursus creationis modum seu ex nihilo, seu ex materia non apta, actione prorsus Divina, jam luculenter exhibitum, altera objecta antilogia facile quoque ablegatur. Siquidem in priori textu Geneseos: *In principio creavit*, verbum ברא *Bara* hinc indicat productionem ex nihilo: in posterioribus vero, nempe *creavit Deus cete grandia*, *creavit Deus hominem de limo*, idem verbum hebraicum ברא *Bara* productionem adhuc Divinam seu creationem ex materia non apta dubio procul insinuat; nihil igitur ultra absurdum perinde relinquitur.

III.

D E U S.

Quæ in Vulgata subjungitur vox *Deus*, nempe in textu Hebræo legitur אלהים *Elohim*, hoc est *Dii* numero plurali exhibita, profecto non convenit, imo quod ad numerum adversatur verbo, quod in eodem versiculo adpingitur, nempe *creavit*, veluti diceret *Dii creavit*; quod antilogiam secundum numerum præseferre neminem fugit. Id eo magis conjicitur ex nonnullis aliis Scripturæ locis, in quibus nomen *Dei* per singulare vocabulum אלה *Eloah* frequenter redditur (3), & ex aliis quoque Divinis nominibus, quæ nunc singulari numero, nunc ut ajunt duali, nunc vero plurali exscribi in Sacro codice consuevere, ut de nominibus אדני *Adonai*, & יהוה *Jehova*, quorum alterum vel in duali vel in plurali, alterum in singulari semper reperitur. Quare præfatum nomen *Dei* Septuaginta, & Hieronymus promiscue nunc singulari numero, nunc plurali latine reddiderunt. Nonnulli opinati sunt ex hoc potissimum Dei nomine plurali numero cum singulari verbo pronunciato, errorem potissimum Idololatriæ emersisse, eum Gentiles, qui frequenter Hebræos adibant, exinde momentum duxerint ad plures Deos affirmandos (4). At id asserere, divinare potius, quam verum conjicere est, reapse dicendum arbitramur hanc antilogiam jactantes Judæos, Simonem Magum, Menandrum ejus discipulum, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, & Cherintum unanimi ore & protulisse, & docuis-

(1) Tertull. lib. cont. Hermog. cap. 28.

(2) Athanas. ad Decret. Nycenæ Synodi.

(3) Deuter. 32. 17. Habac. 3. 3. Job. 3. 4. & 23. psal. 50. 22. & aliis in locis.

(4) Id refert Augost. Steucus Eugub. in vet. Test. ad vocem *Deus*: Jacobus Gaffarius Blessensis ad eamdem vocem, aliique.

docuisse Mundum non ab uno Deo, sed vel a Deo materia adjuto, vel ab Angelis fuisse conditum, ut apud Tertullianum habemus (1), eo pacto quo Valentinus a suis Æonibus Orbem creatum fuisse confixit. Diversa sunt, quæ proferunt Doctores, & Interpretes ad hanc antilogiam diluendam, quos refert Thomas Malvenda (2) in suis commentariis, quorum alii pluralem numerum singulari verbo jungi præfatis in verbis ad indicandam unitatem Divinæ naturæ in Trinitate Personarum affirmant; at id nec Origenes, nec Epiphanius, nec Hieronymus Hebraici idiomatis peritissimi observatu dignam judicarent, nonnulli alii proprio loquendi modo Hebræorum id tribuunt, qui Divinæ Majestatis indicandæ causa, Dei nomen plurali numero, etiam verbis singulari numero adjectis, proferre in morem habuerunt, quod etiam de quolibet digniori persona producere consueverunt; quemadmodum olim Israelitæ, nunc Itali faciunt; quidam etiam per pluralem numerum magnitudinem, copiam, abundantiam, virtutem, fortitudinem, & excellentiam Divinæ Omnipotentiæ indicari crediderunt, quemadmodum ad idem promendum aliæ quoque voces plurium numero redduntur in Sacro codice, ut apud Joh Elephas בהמות *Behemot* plurali numero profertur ad denotandam fortitudinem, & virtutem ejusmodi belluæ. At hujusmodi prætermittamus conjecturas, & pro re nostra ad unicum idioma, ceu ad lydium lapidem recurrentes, nullo inde negotio antilogiam omnem evanescere conjiciemus. Ad Hebraici igitur idiomatis leges animadvertentes deprehendimus nomen אלהים *Elohim* etsi formam, vocemque plurium edat, sensum tamen seu singularem, seu pluralem semper apud Hebræos habuisse, uti apud Latinos sunt nomina ejusmodi, *scalæ*, *Athenæ*, *loci*, *Puteoli* hisque similia; quare censuit Hieronymus (4) hujusmodi nomen ab Hebræis velut communis numeri semper receptum fuisse, eoque & unum Deum, & plures appellare consuevisse; qua ex causa eodem modo seu verbum, seu adjectivum singulare, ut in præfato Geneseos textu, modo plurale, modo utrumvis, in Sacro codice reperitur adfixum (5). Et quamvis pro uno veroque Deo pronunciando promiscue occurrat in Scripturis tam singulare vocabulum אלה *Eloah*, quam plurale אלהים *Elohim*, nihilo secius rarior plurali est singularis usus, quum plurale exstet bismille, & quingentis circiter vicibus, singulare vero quinquagesies septies tantum legatur: at discrimen maximum inter utriusque usum conjicitur a locis ipsis, ubi exstat, plurale namque reperitur in omnibus libris, qui aliud Dei nomen exceptum exhibent, ut in recitatione historica, & in verbis ante homi-

(1) Tertull. de præscript. 46 48.
(2) Malven. in comm. ad v. *Deus*, aliique
(3) Joh. 40. 18.
(4) Hieron. epist. 136.

(5) Immerito hac de causa Cajetanus a Catharino lib. 4. animadvers acerbe reprehensus fuit, ut bene animadvertit Cornelius Jansenius Iprensis in Pentateucho cap. 1. Genes. ad vocem *Deus*.

hominis lapsum prolaris; singulare vero frequenter in libris poeticis, in Cantico Moysis, in Deuteronomio bis, in Prophetis parce, in Jobo ita large, ut quadragies occurrat, in reliquis vero sedecies dumtaxat. Quare hac conjectura ducti deprehendimus formam pluralem primum institutam fuisse secundum indolem, & idiotismum linguæ Sanctæ, & a Deo dictatam ad utrumque, singularem nempe, & pluralem numerum indicandum, singularem vero inventum licenter metri potius causa, & ad שלש ostendenda fuisse usui redditum. Idem prorsus adstruendum ducimus de nomine appellativo אדונים *Adonaim* duali *Dominus*, vel *Domini*, aut אדונים *Adonim* plurali, quod uti de pluribus dominis, ita de uno Deo tantum frequenter, & passim in Scripturis legitur, & præcipue veluti in casu regiminis absque ם *Mem* in fine, seu אדני *Adonai* centum triginta, & quatuor in locis extat, uti Masoretæ adnotarunt (1). Id autem eo potissimum huic alteri nomini aptandum ducimus, quod nomen sit appellativum, non proprium; ait enim Glassius (2): *nomina appellativa specialius, quæ dominium notant, ex proprietate linguæ Sanctæ numero plurali pro singulari efferuntur*. Quamobrem in utroque isthoc nomine ad libellam expenso, exactoque duo semper discriminanda occurrunt, nempe & vocis terminatio, & vocis sensus secundum idiotismum Hebraici idiomatis; quod ad terminationem pluralem vox ista reperitur in Scriptura & uni Deo, & aliis a Deo, attributa, quod ad sensum vero singularem semper uni Deo accensetur, etsi terminationem pluralem habeat. Cur autem hujuscemodi nomina quod ad plurium formam in Scripturis Deus sibi indiderit, id non tam ex humanæ rationis judiciis, nec ex regulis proprio arbitrio excogitatis, quam ex ipso purissimo Veritatis fonte, verbo Dei nempe scripto, quod linguæ sanctæ unicum fundamentum est, eruendum censemus; quamvis omnes illas summopere veneremur conjecturas ex sacris hisce nominibus erutas, quibus seu Rabbini (3), seu Theologi (4) ad non paucas veritates elucidandas frequenter utuntur (5).

CÆLUM

(1) Consule Pagninum in thes. ad voc. *Elohim* Joan. Buxtorf. Jacob. Gusset. ad eamd. voc.

(2) Salom. Glass. in philolog. sac. lib. 3. tract. 1. de nomine can. 25.

(3) Rab. Bechai in princip. Genes. Reb. Aben Ezra ad Genes. 1. 1. & alii non pauci.

(4) Videntur Rab. Beilarm. lib. 2. de Christo, Melchior Canus in locis, aliique innumeri.

(5) Ex hisce quisque dignoscit perperam Hugonem Grotium affirmasse, nomen *Elohim* plurale ortum duxisse non ex Divino dictamine, & Hebræum linguæ idiotismo, sed ex phrasi *Elach Elohim*, decurtata a capite, in qua cum prior vox Deum verum reddat, secunda autem Deos falsos, incuria scriptorum altera relicta fuerit abacta priori. Vid. Jacob. Gusset. qui mire exponit vocem *Elohim*.

IV.

CÆLUM.

Plures quoque antilogias ingerit isthæc alia, quæ in eodem versiculo subjungitur vox. Principio namque dum in Vulgata legimus *Cælum* quod ad numerum singularem, in Hebræorum canone exscriptum exstat השמים *Hasciamaim* in duali, ut ajunt, vel *Hascianim* in plurali. Rursus utrique voci seu singulari, seu duali non æque respondere deprehendimus alia Scripturæ loca (1), in quibus Cælum plurali numero profertur; legitur namque *Cæli Cælorum*, *Cæli ejus*, &c. Tandem eidem voci etiam quod ad sensum adversari deprehendimus, quod versiculo 6. ejusdem capitis Geneseos subjungitur, nempe *Dixit quoque Deus. Sit firmamentum in medio aquarum &c.* & vers. 8. *Vocavitque firmamentum Cælum*, idque secunda die factum legimus. Si ergo prima die jam Deus condiderat Cælum, aut Cælos, cur altera iterum die *firmamentum*, seu Cælum, seu Cælos eum creasse comperimus? antilogia profecto pellucida cuilibet lustranti se offert. At nonnulla notatu digna ex idiotismo, & proprietate Hebraicæ linguæ, seu pro terminatione duali nominum, seu pro forma plurali ad exactam expendantur libram, & dubio procul omnis præfata antilogia evanescere conspicietur. Dualis terminatio Hebraica in ים. *Aim*, quam Rabbini recognoscunt, non semper dualitatem reipsa infert, sunt namque in Sacro textu voces nonnullæ, quæ utique a re quadam duali appellationem desumunt, ipsæ autem res per hujusmodi voces exhibitæ non dualem numerum, sed singulerem præseferunt, uti vox צהרים *tzaharaim*, *meridies*, quæ unam diei partem, mediam scilicet, quæ dualem formam habet, inducit, quia diem in duas æquales partes dividit, & geminæ lucis antemeridianæ, & pomeridianæ veluti medium, & tamquam interstitium exstat, quod ad sensum tamen veluti singularis in pluribus locis occurrit (2). Uti etiam vox אבנים *Abanaim*, quam *Sellam parturientium* vertit David Salomon in Exodo (3); *uterum* vero Kimchi ad eumdem locum (4) etsi nonnulli alii pro *Sellis*, seu *tabulis figulorum* reddiderint in Jeremia (5). Hæ quidem voces, sicut & aliæ id genus formam utique dualem exhibent, at numerum nonnisi singularem promunt. Sunt vicissim & aliæ voces, quæ quidem quod ad se *dualitatem* notant, at per additum nomen numerale ad pluralitatem

mani-

(1) Genes. 15. 5. Psal. 148. 4. Deuteron. 28. 23. Jer. 10. 21. Daniel 4. 25. & alibi.

(2) Pro tempore meridiano usurpatur Jerem. 20. 69. Pro meridie vero Genes. 43. 16.

(3) Exod. 1. 16.

(4) Vide Fullerum lib. 5. Miscell. Sacr. cap. 19.

(5) Jerem. 18. 3. Consule Joannem Buxtorf. ad hanc vocem.

manifesto reducuntur; uti dum legimus apud Ezechielem (1) *Et quatuor alæ unicuique eis*, id exscribitur per vocem dualem tantum כנפים *Conaphaim*, nempe *duas alas*. & apud Zachariam dum occurrunt voces *septem oculi &c.* isthæc producuntur per vocem dualem עינים *Ghainaim*, nempe *duos oculos* (2). idem in aliis quoque innumeris elucet locis (3); uti passim, frequenterque sese offerunt voces potissimum numerales, quæ utique duali terminatione efferuntur, & nullam quod ad se duplicationem notant; uti apud Samuelem legimus (4) *& agnam restituet quadruplo*, *seu quadruplam* per vocem solum dualem ארבעתים *Arebaghataim*, nempe *quadruplum*, non autem *bis quadruplum*, ut ad litteram reddit Pagninus (5), & alibi de stila Hebraici idiomatis huc, & illuc in Sacro codice ipsum conjicimus (6). Innumeræ quoque occurrunt voces, quæ pluralem habent formam, & tamen ex Hebræo idiotismo singularem reddunt numerum ad rei seu magnitudinem, seu excellentiam denotandam, quas affatim Hebraicæ linguæ gnari referunt, & nos brevitatis ergo relinquimus (7). E diverticulo igitur ad viam nostram paucis redeamus. Vox השמים *hasciamaim* quod ad se formam, terminationemque semper in Sacro codice Hebræo præsefert dualem, eo quod ejusmodi nomen, ut animadvertunt Rabbini, & Hebraici idiomatis eruditi, quacumque ex radice eruatur, semper duo deprehenditur continere, sive enim secundum nonnullos emergat ex שם *scem*, *ibi*, & מים *maim*, *aqua*, nempe *ibi aqua*, sive secundum alios ex שם *sciam*, *sustine*, & מים *maim*, *aquas*, seu *sustine aquas*, aut a שאה *Sciaha*, *stupere* (in Hitphael) & מים *maim*, *aqua*, seu *stupescunt aquæ*, quod stupendo modo ibi suspensæ hæreant; vel ex אש *esc*, *ignis*, & מים *maim*, *aqua*, ut Thalmudistæ (8); aut ex שם *scem* adverbio loci valde distantis, & remoti, eo quod Cæli sint remotissimi a terra utrimque æquali, & per duos mundi polos circumvolvantur (9); nihilo tamen secius vox isthæc quod ad rem, & sensum secundum linguæ sanctæ proprietatem, & leges ex diversa Orbium cælestium intelligentia omnem numerum profert seu singularem, seu dualem, seu pluralem. Dum *Cæli* nomine intelligitur vel id omne quod Deus condidit præter terraqueum, & elementarem Orbem; ut non pauci ex Patribus (10) textum Geneseos verterunt: puta vel Firmamentum, vel

C Empy-

(1) Ezech. 1. 6.

(2) Zach. 3. 9.

(3) Levit. 11. 23. 1. Samuel. 2. 13. & alibi

(4) 2. Samuel 12. 6

(5) Pagninii versioni huic Mosaica constitutio Exodi 22. 1. prorsus refragatur.

(6) Sic Job. 41. 6. Isai. 40. 2. Proverb 6. 31. Psalm. 12. 7. Consulatur Salomon Glassius in Philolog Sac lib. 3. tract. 1. de Num. can. 23.

(7) Videatur Glassius lib cit can. 24.

(8) Apud Joan. Buxtorfium sub hac eadem voce.

(9) Non pauca ad rem hanc exquire penes Thomam Malvenda in Comment. ad Sacr. Script. sub hac voce.

(10) August. de Civit. c. 33 & alibi Tertull lib contra Hermog c 26. & Basil hom 3. hanc expositionem a majoribus traditam censet.

Empyreum, vel quidquid Cælorum est supra sidereum Firmamentum, uti recensitam vocem non pauci verterunt Patres (1). tunc dubio procul in sensum recidit singularem, atque ita vocem præfatam Vulgata nostra reddidit in primo versiculo Geneseos. At dum per recensitam vocem omnes indicantur Cælestes Orbes, quo pacto Scriptura eos Cælos, & Cælos Cælorum appellat, tunc sane diffitetur nemo prædictam vocem numerum designare pluralem. Ac tandem semper ac indicata vox excipitur ad designandas duas Cæli partes, nempe illam, quæ est a Firmamento sursum, quam Divinum Opificem prima condidisse die textus Sacer enarrat, atque illam, quæ est a Firmamento deorsum Terram versus, quam Deum secunda die creasse luculenter Scriptura ipsa testatur, tunc profecto & vocem, & formam, & sensum dualem præseferre cuilibet vel leviter Hebraico idiomate tincto jam liquido est patulum. Hacce intelligentia formam dualem ad designandos duos Cælos nempe & supra, & infra Firmamentum quod ad germanam Hebraici idiomatis proprietatem excepit Divinus Hebræorum textus. Ex hisce ad librum expensis jam omnes præfatæ antilogiæ procul ablegantur; & potissimum prono alveo fluit Deum prima die condidisse Cælos, aut Cælum, altera autem die Firmamentum, seu Cælum, planeque hoc citra ullam antilogiam intelligitur.

V.

ET TERRAM.

Reliqua isthæc præfati versiculi vox, quæ in Hebræo legitur ואת הארץ *Veet haaretz* primo intuitu his, quæ sequuntur videtur contra respondere, & antilogiam invehere, subjungitur namque *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas;* quæ inter verba, si textui Hebræo adhærentes animadvertamus voces illas ארץ *Aretz, Terram;* תהו *Tohu, rem informem;* בהו *Bohu, rem vacuam, & manem;* חשך *hhoschech, tenebras;* תהום *tehom, abyssum;* רוח *Ruahh, spiritum, ventum;* מרחפת *Rahhaph, commovit se*, & מים *maim, aquas;* profecto pugnam & sensus repugnantiam perquam maximam conjiciemus; etenim si terra tunc condita erat, jam plena erant omnia igitur non erat res inanis & vacua, neque tenebræ, neque profunda abyssus, neque ventus, aut spiritus, ac

(1) Damascenus lib. 2. de Fide cap. 6. Beda initio Exameri. Theodoretus quæst. 11. in Genesim. Basilius hom. 1. in Hexamer. ubi Cælum supra Firmamentum mollioris vult esse naturæ, quam Firmamentum ipsum. Hilarius in ps. 122. ibique opinionem de illo Cælo velut Dei fide publicam, communemque putat. Origenes lib. 2 Periarchon cap. 3. nec non & Patres medii ætatis Anselmus, D. Thomas, Lombardus, Rupertus, aliique innumeri.

ac motus, & nec aquæ simul consistere poterant. Isthæc enim omnia inter se invicem infensa suapte natura adversa sunt; nec simul eodem possunt consistere loco. Plurimum perinde negotii voces hujusmodi sacris Interpretibus dederunt; et facile ad unguem sibi invicem æque hæc respondere intelligentur, si ad Hebraicam trutinam vel illud dumtaxat verbum ארץ *Aretz*, nempe *terra* exacte revocetur. Vox profecto isthæc, secundum Hebraicæ idiomatis patronos aut emergit ex radice רוץ *Rutz*, seu *currere*, *excurrere*, *discurrere*, & in conjugatione Hiphil, *excurrere fecit*; aut ex verbo רצץ *Ratzatz*, *quassavit*, *conquassavit*, *collegit*, *confregit*, *contrivit*, *concussit*, & in Hiphil, *concutere*, & *collidere fecit*. quamobrem etsi pro tellure ipsa, et regione plures in Scripturis adhibeatur, non semper tamen nudam innuit terram cœlis, incolisque conductam, sed quod ad proprium sensum nomen est communis generis reddens quidquid præter Cœlos terram ipsam spectat, uti sunt omnia Elementa, quæ circa terram perenni circumaguntur, cienturque cursu (1). Dum igitur legimus in textu Hebræo ואת הארץ *Veet haaretz*, *& terram*, quod ad litteram Hebraicam haud intelligimus nudam terræ inertem massam, sed confusam illam, permixtam, & perturbatam molem, sub qua profunde abyssus, & immensa, atque caliginose obstrepentium aquarum congeries comprehendebatur, hac ex causa tunc nullum aliud præter terram conditum legimus Elementum, quia omnia unico *terræ* nomine designantur. Consuetudo quippe Scripturæ est teste Augustino (2), Cœli, & Terræ nomine mundum universum appellare, et interdum addere & mare, sicque Deus Cœli, & Terræ conditor adoratur. Moyses igitur divino Spiritu actus illis conjunctis vocibus *Cœlum*, *& Terram* universam molem primum conditam, ex qua dein res omnes emersere, indicare voluit, & illas heic in primis usurpavit voces, ut rerum omnium exordia plenius, sonentiusque enarraret. Atque ita Cœlo, Terraque ceu hujus mundi machinæ tecto, et solo constitutis indicare aggreditur, cujusmodi Terra in sui exordio fuerit: *Terra*, ait, *erat inanis*, *& vacua*, nempe habitatæ instar solitudinis deserta per absentiam scilicet rerum, quibus ornatur, quare & Septuaginta legunt, *invisibilem*, & *incompositam*, quia, ut animadvertit Augustinus (3), *nondum a mari fuerat distincta*, *atque cincta littoribus*, *& suis fœtibus*, *& plantis*, *animalibusque decorata*, quo sensu in Sapientia dicitur (4) *Deum orbem creasse ex materia invisa*, & in eodem capite Geneseos subjungitur (5). *Congregentur aquæ*, *quæ sub Cœlo sunt in locum unum*, *& appareat*

(1) Consulantur Malvenda in comment. ad præfat. vocem; Pagninus in Thesaur. Joan Buxtorf Jacob. Gusset. & Christian. Reneccius in Janua Hebr. Ling. vet. Testam.

(2) August. 9. de Genes. ad litt. cap. 4.

(3) Aug. 1 de Genes. ad litt. cap. 13.

(4) Sapient. 11. 18.

(5) Genes. 1. 9.

arida .... vocavitque Deus aridam Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. Per voces autem succedentes *& tenebræ erant super faciem abyssi*; quum secundum Augustinum (1), abyssus græce dicatur *velut sine fundo profunditas*, innuitur tunc desuper Terram immensam aquarum congeriem exstitisse, atque per superficiem tenebras sparsim ire, aliudque in aquis insedisse corpus diaphanum nempe aerem, unde postea luce exorta tenebræ ablegatæ fuerint, ut notat Angelicus (2); quod profert quoque Job dum ait (3) *Ubi eras, cum caligine illud (mare) quasi pannis infantiæ obvolverem*. Hinc per illhæc verba, *& Spiritus Domini ferebatur super aquas*, ventum validum, seu aeris commotionem intelligi posse indicat Augustinus (4), magnamque concussionem recenset Tertullianus (5), & reapse utrumque simul recognoscit Theodoretus (6). Unde *Targum* habet: *Spiritus Domini sufflabat super faciem aquarum*. quod sane dissonum erit, nisi nomina terræ omnia Elementa venirent. Idque seu ex Mosaica Historia, seu ex Hebræorum, & Phœnicum traditionibus Gentiles noverunt quoque, occinente Hesiodo (7):

> *Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα*
> *Γαῖ εὐρύστερνος.*
> *Primo omnium quidem Chaos fuit, ac deinde*
> *Tellus lato pectore prædita, &c.*

VI.

Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux. Genes. 1. 3.

Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Gen. 1. 18.

Aliud hisce in versiculis incongruum sibique repugnans occurrit, nempe supremum Opificem prima quidem die lucem condidisse, dum dixit: *Fiat lux, & facta est lux*, eademque simul die lucem segregasse a tenebris, lucemque appellasse diem, & tenebras noctem: quarta vero die luminaria confecisse magna in Cœlis, ut præessent diei ac nocti, & lucem dividerent a tenebris. Si ergo prima die condita fuit lux, & a tenebris discreta, ut lux pro die, & pro noctis tempore tenebrarum caligo fuerit designata: quare quarta iterum die alia luminaria produxit Deus ad idem prorsus promendum? Arduum profecto,

(1) Aug. in ps. 41.
(2) D. Thomas 1. p. q. 68. art. 3. in corp.
(3) Job 38. 9.
(4) Aug. lib. de Genes. imperf. cap. 4.
(5) Tertull. contra Hermog. cap. 32.
(6) Theodor. q. 8. in Genes.
(7) Hesiod. de Deor. generat. v. 116.

fecto, & perdifficile nimis semper fuit distinguere, quænam fuerit illa lux prima die condita, ut discriminata a luminaribus quarta die in Cælis locatis. Alii illam Angelos censuerunt, alii nubem, aut columnam igneam, nonnulli corpus quodpiam lucidum, non pauci lucem Solis informem, & alii alia conjecturis innixi sunt opinati, at nec reapse verum ex cuniculis eruerunt. Nobis volupe est, & utile secundum Augustini consilium (1) in re tam gravi, & obscura temere nihil proferre, sed tantum normam adire Hebraicam, ut quidpiam veri conjicere valeamus. In Hebræorum canone de luce legimus prima die: ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור *Vajomer Elohim jehi Or, Vajehi Or*, seu, & *dixit Deus Sit lux, & fuit lux*. De Sole autem & luminaribus Cæli quarta die ויאמר אלהים יהי מארת *Vajomer Elohim jehi Meorat*, nempe *dixit Deus fiant luminaria* & deinceps את המאור הגדל לממשלת היום *Et Hamaor Haggadol lememschelet hajom*, *Luminare majus ad dominium diei* &c. In hisce textu ad incudem revocare juvat voces illas אור *Or*, & המאור *Hamaor*, cujus plurale est מארת *Meorot*, quarum altera duo innuit apud Hebræos & verbum *lucere*, *illucescere*, *splendescere*, *lucidum esse*, *illuminare*, uti frequenter in Sacro textu occurrit (2), & nomen apud Hebræos seu masculinum, seu fœmininum, nempe *lucem*, & *lumen*, utpote quæ a corpore lucido effluunt, dimanantque, sicque sæpius occurrit (3), indeque emergit אור *Ur* seu *ignis* a lucendo: altera vox המאור *Hamaor*, nempe *luminare*, seu *corpus* sua indole *fulgens*, & *lumen* quaquaversum *emittens* dumtaxat exhibet, uti pluries se offert (4). Isthæc sedulo ab Hebraici idiomatis eruditis animadvertantur (5), & statim omne, quod incongruum producitur, evanescet. Deus utique prima die lucem unice condidit, non corpus fulgidum, & luminosum, hoc est lumen emisit in corpora illa pellucida Cælum nempe, Aerem, Aquas, ad lucem, lumenque suscipiendum apta, quod lumen sensim, & paulatim tenebras retrudendo, ut Solis motu in dies evenire conjicimus, utrumque peragraret hemisphærium, redderetque quod ad se diem, quod ad tenebras noctem. Hac ea causa Septuaginta אור *Or* verterunt φῶς nempe *lumen*, seu lucis effusum splendorem: & studiose Moyses non corpus luminosum, sed *lucem*, seu *lumen* prima die dumtaxat exscripsit, quarta autem die non lucem tantum, sed corpus suapte natura luminosum ad infinitam in rerum harmonia expromendam Sapientiam, qua Deus Solem & Lunam simul condidit, ut inde lux omnis perpetuo scateret, simulque secernerent lucem, & tenebras, diem,

(1) August. lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 18.
(2) Gen. 44. 3. Psal. 76. 5. Job. 33. 30. 2. Samuel. 2. 32. Exod. 25. 37. & alibi passim.
(3) Job. 36. 30. Ps. 136. 7. Esth. 8. 15. 2. Reg. 4. 39. Isai. 26. 19. & aliis in locis.
(4) Ps. 90. 8. Ezech. 32. 8. & aliis in textibus.
(5) Consule Pagnin. in Thesaur. Joan. Buxtorf. & Gusset. ad has voces.

diem, noctemque, & essent rebus omnibus *in signum, & tempora, & dies, & annos*. Id ex Hebraeo ipso idiomate verius recensendum dijudicamus, quod cum Angelico Praeceptore non pauci rati sunt Patres (1).

VII.

Aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit Corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Genes. 8. 6.

Dimisit Corvum, qui egrediebatur, & revertebatur, donec &c. Ibid. in Can. Hebr.

Magnum sane dissidium inter Sacræ Scripturæ Interpretes Judæos potissimum, & Christianos, Catholicos, & Hæreticos in hisce vertendis textibus ad sensum seu Hebræum, seu Græcum, aut Latinum semper exstitit, quod credant, particulam *non* prorsus deficere a textu Hebræo, quæ tamen adjecta sit codici Græco, & Latino. Ubi enim Septuaginta de erca Corvi, Græce reddiderunt fidei: *καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψε*, idest *egrediens non revertebatur*, & Vulgata legit, *qui egrediebatur, & non revertebatur*; Hebræus exscribit textus. וישלח את הערב ויצא יצוא ושוב, *Vaiscialláhh & Hheghoreb Vajatze jatzo vasciob*, *seu emisit Corvum, & exiit egrediendo, & regrediendo*. Quibus in verbis quod de regressu Corvi ad arcam affirmat Hebræus codex cum insensa entilogia, & Græcus, & Latinus prorsus diffitetur; indeque eliminandi Vulgatam nostram & Judæi, & non pauci ex hæreticis vano contenderunt conatu. Sunt nonnulli autumantes errorem seu in Græcam versionem Septuaginta Interpretum, seu in Vulgatam irrepsisse; quare ab hisce textibus particulam negantem retrahendam esse crediderunt; (2) at perperam, quum ex uno idiomate Hebraico, seu ex certa norma omnis evertatur antilogia, & in unum, idemque sensum textus omnes recidere prorsus videantur. Verbum שוב, *Sciub*, quod in Hebræo relucet, ut docent Pagninus, aliique (3), denotat *recurrere, redire, convertere, converti, averti, utrumque enim pro ratione loci designat, & aptius sese in hanc, vel illam partem convertere*; uti etiam denotat regressum ad terminum, a quo primum recessum fuit, atque interdum ite-

(1) Basil. Homil. 6. in Genes. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. Naz. orat. in novam Dominic. D. Thomas p. 1. q. 67. a. 4. ad 2. aliique innumeri.

(2) Augustinus Chisamensis Episcop. in suis adnot. quem vide apud Sixt. Senen. in Bibl. Sanct. tom. 2. lib. 5. adnot. 83.

(3) Pagninus in Thes. Joan. Buxtorf. Jacobus Gusset. ad hanc vocem.

iterationem motus. Nunc paucis ad rem nostram, dum legitur in Hebræa, vel Chaldæa editione, Corvum emissum fuisse *egrediendo, & redeundo, donec siccarentur aquæ super terram*, statim primo intuitu verbum ושוב *Vascіob* Hebraici idiomatis gnari non pro nudo simplicique regressu in arcam perfunctorie excipiunt, sed profecto pro iterato volatu ultro, citroque circa arcam, eam circumvolitando, & dum subjungitur; *donec siccarentur aquæ super terram*, jam cuique ad oculum est patulum, nec unquam denuo regressum fuisse corvum postquam aquæ fuerunt prorsus exsiccatæ, ut si primo egressu circa arcam volitaret, ceu regredi vellet; exsiccatis dein perfecte aquis, ita abscesserit, ut nunquam ad eam iterum redierit, quamquam igitur deficiat in textu Hebræo particula negans, eodem tamen prorsus illud recidere intelligimus, ac versio ipsa Græca, & Vulgata (*t*).

EX LIBRO EXODI

VIII.

Moyses ignorabat quod cornuta esset facies sua. Exod. 34. 29.

Et ignorabat Moyses, quod cutis faciei suæ esset radians.
Ibid. in Hebr.

Adversus Hieronymum calamum acuit Augustinus Steuchus Chisamensis Episcopus (*u*), quod refragante Habræo textu, & Græca Septuaginta Interpretum versione nobis in Vulgata reddiderit Moysis faciem fuisse cornutam. Scribit enim. „ Vox ambigua fecit in editione „ errorem: quamvis etiam sit discrimen apud Hebræos inter nomen „ cornu, & id quod significat radians, nam cornu vocatur קרן *Keren* per duplex segol, at radians קרן *Karan*; igitur non habetur in „ contextu Hebræo faciem Moysis fuisse cornutam, sed radiantem: „ quod ex verbis ipsis apertissime intelligitur, quæ in hunc habent „ modum ומשח לא ידע כי קרן עור פניו *Umosceh lo jadagh chi Karan ghod Phanaju*; hoc est, *& ignorabat Moyses, quod radians esset cutis faciei suæ*. Non scribitur igitur faciem fuisse cornutam, sed „ cutem radiantem. Ex hoc ergo potest emendari prava vulgi consuetudo, quod duobus cornibus pingunt Moysem. Non enim cornua e fronte egrediebantur, sed frons, & nasus, & os, & mentum

„ radia-

(*t*) Id habet Aloysius Veronæ Episcop. in Caten. apud Sixt. Senens. Bibl. Sanct. tom. 1. lib. 5. adnot. 85. Consulantur Thom. Malvend. in Comm. Cornel. Jans. Ipren. in Exod. Cornel. a Lapid. aliique.

(*u*) Augustinus Steuchus Comm. in Exod.

„ radiabant . Et mirum , quod Hieronymus non considerata veritate „ Hebraica , non animadverterit etiam quid Septuaginta transtulissent, „ qui bene hunc locum verterunt , *καὶ Μωϋσῆς οὐκ ᾔδει , ὅτι δεδόξασται „ ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Et Moyses ignorabat , quod glo- „ rificatus esset aspectus cutis faciei suæ* . Rident itaque nos , & exe- „ crantur Judæi , quoties Moysem in nostris templis cornuta facie „ depictum adspiciunt , quasi nos eum Diabolum quemdam , ut ipsi „ stulte interpretantur , esse putemus . At injurium hoc maxime dispar est merito , & doctrinæ Hieronymi , qui ceu Hebraicum idioma optime callens , jam plane noverat verbum קרן *Keren* , nempe *cornu* , & per translationem *fortitudinem* , *potestatem* , *præsidium* , itemque radios, lucem , quæ cornuum instar radios diffundit (1) esse radicem apud Hebræos , ex qua emergit verbum קרן *Karan* præteritum in Kal proprie innuens *cornua seu ossea* , *seu lucida emisit* , *irradiavit* , *splendorem dedit* , *jubar diffundit* , qua ex causa reapse transtulit verbum secundum suam propriam peculiaremque radicem , dum scripsit *cornutam faciem Moysis* ad expromendum profecto haud cornua ossea , verum cornua lucis , nempe radios , qui non aliud nisi ceu cornua ingerunt, dum se quaquaversum diffundunt , quare non dixit caput , aut frontem cornutam , sed faciem , ut luculenter secundum litteram Hebræam indicaret cutem faciei Moysis radiantem , & cornua lucis emittentem; alioquin & sibimetipsi , & Divino eloquio in iis , quæ præcedunt , & subsequuntur , adversaretur , nulla enim fuisset causa timendi accessum ad Moysen , nec velandi faciem ejus , nec ipse sua ignorasset cornua, nec isthæc enti faciei ejus inhærere potuissent ; quod here , & apud D. Paulum affatim eloquitur Scriptura (2) . Hocce de tanto Viro nec somniari licet . eodem igitur recidunt quocumque in Canone omnes ejusmodi Scripturæ textus , & contextus ; nec quid vel minimum sibi adversum producunt .

EX

(1) Pagnin. in Thes. Buxtorf. & Gyssor. aliique in Lex.

(2) Paul. 2. Corinth. 3. p.

EX LIBRO LEVITICI

IX.

Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Levit. 26. 1.

Jacob tulit lapidem, & erexit in titulum. Genes. 26. 28.
Moyses ædificavit duodecim titulos. Exod. 24. 4.

Quamquam primo intuitu sibi invicem pugnantia nimis videantur testimonia isthæc, quum tituli, lapidesque insignes, quorum erectio stricto Dei mandato vetita legitur in Levitico, Deo tamen seu inspirante, seu præcipiente usui redditi, solemniterque erecti & a Jacobo, & a Moyse, & ab aliis (1) insignibus viris conspiciuntur in Scriptura. At ad normam potissimum Hebraicam intimius loco Levitici explorato, nihil dissonum amplius reliquum esse deprehendemus. Moyses enim sic exscripsit לא תעשו לכם אלילם ופסל ומצבה לא תקימו לכם ואבן *Lo taghascu labem Elilim Uphesel umatzebah le takemu labem verben*, nempe (2), *non facietis vobis vana, & sculptile, & statuam non erigetis vobis & lapidem*, & deinde subjungit, *ut adoretis eum*. Ubi quisquis prima facie intueri poterit, verba illa אלילם *elilim*, seu *vana*; ופסל *Uphesel*, seu *sculptile*, & potissimum illud ומצבה *umatzebah*, seu *statuam* nempe *idolum*, quod emergit a radice יצב *Jatzab*, nempe *statuit*, *constituit*, unde eruunt Hebræi מצבה *Matzebah*, nempe *statuam*, seu *simulacrum*, aut *idolum* (3), luculenter indicare, ibi Vulgatam nostram non loqui, nisi de titulis, lapidibusque erectis non Deo vero, sed Idolis, & falsis Diis, quare Septuaginta ea verba lapidem, aut columnam in memoriam alicujus verterunt; quod sane nedum in Levitico, verum & passim in Scriptura vetitum legimus, cum sit Idololatria statim uni Deo adversa. Quamobrem hoc in sensu locus Levitici non pugnat cum eo, quod legitur de Jacobo in Genesi, de Moyse in Exodo, de Juda Machabæo in libris Machabæorum, & de innumeris aliis insignibus viris, qui lapides in titulos non falsis Diis, sed uni Deo erexerunt. Hocce etiam ex ipsis Vulgatæ nostræ verbis apparet, legitur enim: *Ego Dominus Deus vester hic. non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.*

D De

(1) Genes. 26. 28. Exod. 24. 4. Josue 4. 4. 1 Machab. 13. 27.
(2) Secundum Pagnini versionem.
(3) Consul. Pagn. Buxtorf. Guffet aliosque ad præfix. vocem

X.

De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch.
Levit. 18. 21.

Et e semine tuo non dabis ad faciendum transire ad Molech, seu Regnantem. In Heb.

Quoniam in hoc Levitici textu vocem מולך *Moloch* Hebræi legunt *Molech*, seu *Melech* perinde ac *Regem*, Septuaginta græce verterunt ἄρχοντα, idest *Principem*, & Hieronymus in Vulgata latine reddidit *Moloch*, nempe *idolum*; itaque non uno, eodemque sensu hoc idolum in Levitico vetitum, exceperunt seu Hebræi, seu Græci, seu Latini Interpretes. Ex Hebræis nonnulli illud crediderunt fuisse astrum, alii diabolum, non pauci omne idolorum genus, quidam quamlibet Idololatriæ speciem, cui opinioni succinuit præsertim Rabbi Salomon, qui dixit. „ Idololatria est, quæ vocatur *Moloch*, cujus cultus hoc „ modo fiebat: siquidem filios suos tradebant Sacerdotibus templorum, „ qui duos faciebant maximos ignes, & inter eos puerum transire „ cogebant. Primum ergo dicit *ne dederis*, scilicet Sacerdotibus illis: „ deinde ponitur *Moloch*, quæ est idololatria, quæ fit per ignem. Hocce superstitionis genus secundum alios potissimum emersit ex opinione, qua putabant omnibus elementis inesse quosdam dæmones: ac ei, quem in igne habitare opinabantur, filios consecrabant, eos per ignem transire (1) cogentes; obque id in Deuteronomio (2) Hebræi prohibentur eo modo Deum colere, quo solerent Gentes, qui filios suos, & filias igni tradebant, eos dæmonibus sacrificantes. Cum autem Septuaginta Interpretes vocum forsan similitudine delusi, non reddiderint heic ipsum nomen idoli *Moloch*, sed nomen ἄρχοντα, idest *Principem*, seu *Regem*; & verbum *Molech* cum participium veluti sit ex radice מלך *Malac* seu *imperavit*, *regnavit*, unde *Molech*, *Imperator*, *Rex*, *Regnator* vocitatur; idcirco nonnulli ex Græcis apud Theodoretum (3) opinati sunt per hocce Levitici preceptum vetari, ne Hebræi darent pueros suos alienigenis principibus, ut essent eorum servi, vel armigeri, quo impietatis illorum participes fierent. Latini tamen omnes, Hieronymo duce, communi mente secundum infallibilem Divini eloquii veritatem recensent *Moloch* vetitum in Levitico fuisse idolum Ammonitarum, ut testatur eadem Scriptura in libris Regum (4), ita quidem nuncupatum propter insignem cultorum reverentiam, insignemque cultum, quo proprios filios ei immolarent parentes per ignem,

(1) August. Steuchus in cap. 18. Levit.

(2) Deuteron. 12. 2.

(3) Theodor. quæst. 25.

(4) 3. Reg. 11, supius vers. nempe 5. 7. 33.

ignem, ut indicatur in eodem Regum libro (1). Erat tunc prope Jerusalem Vallis dicta הנם גי *Ge Hinnom*, seu *Vallis Hinnom* (2), in eaque constitutus erat locus excelsus, cui nomen תפת *Tophet*, in quo Hebræi Idololatræ immolabant liberos suos idolo dicto *Moloch*, eos comburendo, eo quod male intellexissent, quæ Deus Abrahamo dixerat (3). *Assume nunc Filium tuum unicum Isaacum, & offer eum in holocaustum.* Hinc religio facta est apud ipsos, innumerisque firmata exemplis (4) contra apertum Dei mandatum (5). Hac ex causa pius Rex Josias lucum eumdem polluit (6) projiciendo illuc cadavera, fimum, stercum, ac omnes res immundas, ne amplius execrandæ isti idololatriæ consecratus esset, ut R Kimchi heic notat; quare in libro *Jalkut* (7) exscribitur: *Etsi fuerint omnes domus idololatricæ in urbe Jerusalem, Molech tamen fuit extra urbem in loco separato.* Duplici autem execrando ritu id exsequebantur Judæi: ut vel pater suos filios traderet Sacerdotibus, qui exstructis duobus magnis rogis pueros inter eos nudis pedibus incedere compellebant, quod si unum ex iis pater vivum traduceret, & semetipsum, & reliqua omnia sua prospera in perpetuum exspectaret (8), perinde Achaz, & Manassen traduxisse filius per ignem legimus (9), & a Jeremia (10) dicuntur *initiari filii Moloch*, hoc est per ignem traduci: vel reapse parentes pueros, filiosque suos per Molech manus ignitas comburere permitterent, sic hi, qui erant de *Sepharvaim*, comburebant filios suos igne *Adramelech*, & *Anamelech* (11); quibus nominibus vocitabatur *Moloch*: & in Psalmis dicitur (12). *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonis*, quorum aræ Dei jussu evertendæ erant (13). Ut enim tradit Lyranus (14), *Moloch* erat Idolum, seu simulacrum æneum referens personam hominis cervicem habentis vituli (15), & manus apertas, brachiaque extensa, ceu quidpiam reciperet, interiusque concavum: dum autem quispiam filium ei immolare inhiabat, *Molechum* prius osculabatur, puerumque coram ipso sistebat, interim supposito igne Idolum ita succendebatur, ut ceu ignis excandesceret, mox candentibus ejus manibus puerum indebant, Sacerdotibus interea tympana pulsantibus, ne parentes, adstantesque pueri morientis ejulatum, & clamorem audirent, & ad pietatem commoverentur. Exinde præfatus locus vocitatus fuit תפת *Tophet* a *Tympani sonitu*, quod hebraice *Toph* dicitur; Vallis vero גיהנם *Gehinnom*, idest γέεννα, *Gehenna*, eo quod vox pueri

esset

(1) 4 Reg. 23. 10.
(2) Josue 15. 8.
(3) Genes. 22. 2.
(4) Jerem. 7. 31. & 19. 2 itemque 2. Paralip. 28. 3.
(5) Levit. 18. 21. & 20. 2.
(6) 4 Reg. 23. 10.
(7) Jalkut in Jerem. cap. 7. fol. 61. col. 4.
(8) Ita R. Kimchi in 2. Reg. 13. 12.
(9) 4. Reg. 21. 6. & 2. Paralip. 33. 6.
(10) Jerem. 32. 35.
(11) 4. Reg. 17. 31.
(12) Psal. 105. 37.
(13) Deuter. 12. 3.
(14) Lyran. ad cap. 18. Levit. & ex lib. Jalkut in Jerem. 7. fol. 61. col. 4.
(15) Osee 13. 2.

effet נהם *nohem*, feu *rugiens* (1). Hanc impietatem a Gentibus Hebræos excepiffe teftatur Lactantius, qui idipfum in Gentilibus immolantibus filios Saturno amare deplorat (2). Ex hifce igitur neminem fugit bene reddidiffe Hieronymum vocem *Moloch*, Idolum intelligendo, & nullam effe cum codice Hebræo antilogiam (3).

XL

Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. Levit. 19. 27. & 21. 5.

Radet capillos capitis, barbamque, & fupercilia, ac totius corporis pilos. Levit. 14. 8. *Radant Levitæ omnes pilos carnis fuæ.* Num. 8. 7.

Divino huic Levitici præcepto cuilibet ex Hebræis, Sacerdotibus præfertim, ne cæfariem attonderent, barbamque abraderent diftricte injungenti ftatim adverfari deprehendimus mandatum aliud ejufdem Levitici (4) præcipiens, ut nedum cæfariem, & barbam, verum & capillos omnes, & fupercilia, omnefque corporis pilos abraderent Hebræi, potiffimum Levitæ. Verum facile ifthæc Sacri Codicis antinomia amandabitur, fi Hebræus codex hac in re attento luftrabitur oculo. Legimus namque in Hebræo לא תקפו פאת ראשכם ולא תשחית את פאת זקנך *lo takiphu feat rofcochem velo tafchhit & feat zakanecha*, nempe: *Non circumdabitis angulum capitis veftri, & non corrumpes angulum barbæ tuæ* (5). Ifthæc autem quifque dum ferio fcrutabitur, liquido ftatim dignofcet præfatum præcepto Levitici non prohiberi, ut Hebræi cæfariem univerfim attonderent, barbamque prorfus abraderent, fed potius ne calamiftro, fiftula, aliifque fucis circumgyrando corrumperent, temerarent, ac depravarent comæ crines, angulos capitis, & barbæ formam more Gentilium, quare ab Hebræis ipfis ad cincinnos mandatum ifthoc refertur; ac Septuaginta Interpretes fic illud Græce fideliter reddiderunt: *Non facietis σισοιν ex coma capitis veftri, neque corrumpetis formam barbæ veftræ*. Quid autem per σισόην heic Sacer intelligat textus Græci variis modis expofuerunt, quibufdam autumantibus apud Theodoretum (6) *intelligi capillos ftudiofe cincinnos factos*. Nihilo tamen fecius alia quoque lubet cum eodem Theodoreto ejufmodi pro-

(1) Id habet Jalkut loc. cit. & Rab Kimchi in 2. Reg. 23. 11. Rab Bechai in Lev. 18. 21.

(2) Lactant. Lib. 1. Divin. Inftit. cap. 21.

(3) Conful. Malvend. in cap. 18. Lev. v. 21. Joan. Buxtorf. ad vocem גיא *Gei, Vallem*. Cornel. Janfen. Epifcop. Ipren. ad cap. 20. Lev. v. 2. Auguft. Steuch. ibid. aliofque.

(4) Levit. 14. 8. Num. 8. 7.

(5) Secundum Pagnini verfionem.

(6) Theod. quæft. 28.

prohibitionis textui Hebræo conformiora expendere momenta. Non alia ex causa & comam attondere Hebræos, & barbam abradere Deus in Levitico vetuit, nisi, ut eos a ritibus averteret Gentilium. „ Solebant „ enim Gentiles, ait Theodoretus (1), suorum filiorum non tondere „ capita, sed permittebant cæsariem crescere, quam multo post tem„ pore dæmonibus offerebant. Illud etiam moris erat apud illos, ut „ cum essent in luctu barbas abraderent, & genas ferirent in eorum „ honorem, qui essent defuncti: quin etiam quasdam corporis partes „ acu vulnerabant, atramentumque superponebant, totumque in cul„ tum dæmonum fiebat: hæc omnia interdicit hîc Divina lex. Quum igitur illa cæsaries, capillorumque tonsio, imo & barbæ quod ad angulos deformatio, & per novaculam abrasio in Ægypto potissimum, unde exierant Hebræi, Sacerdotibus Isidis, cæterisque Gentibus solemnis fuisset, & frequens, ut testatur Ambrosius, & Lucianus, & eruitur ex pluribus Scripturæ testimoniis (2), atque in propinqua Judæis Hierapoli idipsum fuisset usui redditum, ut tradit Lucianus laudatus, idcirco Deus ut suos quam remotissime ab impiis illis, profanisque Gentilium ritibus averteret, abstraheretque, ut in multis aliis, ita & in capillorum, barbæque figura oppositum districte præcepit. Accedit quod barba sit naturalis viris dignitas ornamento magis, quam munimento data, quod Augustinus evincit (3) ex fœminarum faciebus „ quas „ alioquin, inquit, infirmiores viris, muniri tutius conveniret. Virile ergo istud ornamentum seu superstitione, seu effœminatione a populo suo ablegari non vult Deus, & propterea legali præcepto idipsum injungit. Perperam exinde Hæreticos adversus tonsuras, & rasuras Monachorum insurgere, & oblatrare, neminem sane præterit. Cum igitur mandatum istud determinatum habuerit finem, & officia potius cæremonialque spectaret, & vicissim res ipsa quod ad se plane indifferens esset, ut pro varietate sive temporum, sive personarum, sive quarumlibet circumstantiarum adhiberi, vel negligi potuisset, idcirco & viris elephantiasi laborantibus, & Levitis sacris ministrantibus officiis, fuit oppositum injunctum (4), & Samsonem, Nazaræas, seu nonrasos, aliosque contra fecisse legimus (5). Quamobrem etsi universim capillorum tonsio, & barbæ abrasio fuerit in Levitico Hebræis interdicta, absque ulla tamen antilogia, & in eodem Levitico speciatim pro leprosis, & in Numeris pro Levitis ad determinatum finem fuit demandata.

Fur-

(1) Theodor. loc. cit.

(2) Ambrof. in epist. ad Sabinum Lucian. in Dea Syria. Jerem. 9. 26. & 49. 32.

(3) August. lib. 22. de Civit. cap. 14.

(4) Levit. 14. 8. num. 7. 8.

(5) 1. Esdr. 9. 3. Jerem. 41. 5. Baruch 6. 30. & alibi. Consul. August. Steuch. Cornel. Jans. Thomam Malvend. aliosque in hoc Levit. cap.

XII.

Fueruntque Virgæ duodecim absque Virga Aaron. Num. 17. 6.

Ad domum patrum suorum duodecim Virgas, & Virga Aharon in medio Virgarum eorum. Ibid. in Hebr.

Hunc Numerorum locum prout exstat in Vulgata secundum Hieronymi versionem, ceu detruncatum, & codici Hebræo dissonum refellit Augustinus Steuchus (1) sic scribens: ,, Omittitur, quod erat ,, maxime necessarium, scilicet ומטה אהרן בתוך מטותם *Umatthe Aharon Betoch mattotham*, hoc est, *& Virga Aaron in medio Virgarum* ,, *eorum erat posita*; quod non est omissum a Septuaginta, *καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἀνὰ μέσον τῶν ῥάβδων αὐτῶν*: hoc est, *virga Aaron in* ,, *medio virgarum illorum*, quippe qui a Deo Sacerdos electus fuerat, ,, & inter ceteros principatum obtinuerat. Quod autem loco hujus ,, sententiæ substituit Hieronymus, *excepta virga Aaron*, nescio an ,, sit veridice dictum. Cum neque in contextu Hebraico habeatur, ,, neque etiam verum sit, fuisse duodecim virgas excepta virga Aaron: ,, imo una cum virga Aaron: quælibet enim virga tribum repræsen- ,, tabat, duodecim vero erant tribus, quare nec virgæ plures duode- ,, cim esse potuerunt: superfluit igitur *absque virga Aaron*, sed loco ,, ejus ponendum est, *& in medio earum virga Aaron*. nam neque ,, apud Septuaginta ea fit exceptio (2). Isthæc sane non protulisset Steuchus, neque in tantum discrimen sacrosanctam Vulgatam, intemeratamque Hieronymi versionem adduxisset, si æqua librasset lance sacram Scripturam, & utriusque textus seu Hebræi, seu Latini verba caute perscrutatus fuisset. Animadvertisset profecto duodecim fuisse virgas seu simul connumerata Aaronis virga, seu ea excepta secundum diversam lectionem, eodem tamen captu, & intelligentia. Equidem eum latere non ambigimus utrumque codicem & Hebræum, & Latinum palam, luculenterque exhibere filiorum Israel tribus ad prælandum præcepto Dei enumeratas, fuisse dumtaxat undecim, non duodecim (3) cum tribus Levi præ ceteris electa fuerit ad ministrandum in templo, & tabernaculo Domini, sic enim in utroque textu aperte legimus: *Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel. Sed constitue eos super tabernaculum testimonii, & vasa ejus* (4) at pro duodenario numero explendo tribus Joseph in duas divisa fuit; nempe in tribum Ephraim,

(1) August. Steuch. in cap. 17. Num. 6.

(2) Isthæc habes apud Sixt. Senen. in Bibl. San. tom. 2. lib. 7. adnot. 124

(3) Num. 1. per totum.

(4) Num. 1. 47. 48. 49.

Ephraim, & Manasse; quare tribus erant undecim quod ad se, duodecim vero hac nova partitione suffecta. Dum vero Dominus hac peracta enumeratione iterum jussit (1), ut acciperentur duodecim virgæ per singulas cognationes, & cuilibet inscriberetur nomen uniuscujusque tribus, tunc mandavit quoque, ut nomen Aaron inscriberetur seorsim pro Tribu Levi, quæ reliquis antea accensita non fuerat: *Nomen autem Aaron erit in Tribu Levi* (2). Quamobrem *duodecim erant virgæ absque virga Aaron*, ut habet Vulgata, *& duodecim erant virgæ, & in medio earum virga Aaron*, ut legimus in Hebræo, hoc est in medio duodecim seu distincte locata erat virga Aaron ita, ut ex reliquis sex fuerint ex una parte, & sex ex altera, & tertiadecima semper relinquatur Aaroni virga. Deponat igitur calamum Steuchus, cum absque ulla antilogia idem prorsus uterque promat textus.

XIII.

Dixit homo, cujus obturatus est oculus. Num. 24. 3.
Et dixit vir, cujus est apertus oculus. In Hebr.

Antilogiam non levem animadvertit Augustinus Steuchus cum aliis (3) Hebræum inter codicem, & Vulgatam in hoc Balaami proverbiali sermone, sic in suis adnotationibus (4) edisserens: „ *Dixit* „ *homo, cujus est obturatus oculus*, הגבר שתם העין *Aggeber setum* „ *hagham*; idest, *Vir, cujus est apertus oculus*, ut interpretantur He„ bræi, & Chaldaica transfert editio quare in contrarium acceptum „ est a Hieronymo: mirorque, cur Septuaginta secutus non sit, qui „ secundum Hebraicum transtulerunt, *φησὶν ἄνθρωπος ὁ ἀληθινός*, idest, „ *dixit homo verax*: quo fit, ut suspicer, non eo modo reddidisse „ Hieronymum, sed deesse in nostris codicibus negationem: ut dicen„ dum sit, *Dixit homo, cujus non est obturatus oculus*: contraria enim „ sibi diceret Balaam, qui paullo post, se sermonum Dei auditorem „ esse, protestatur. At Hebraici idiomatis alias plane eruditus Steuchus, nunc profecto caute non animadvertit præfatum testimonium in Hebræorum canone exscriptum esse per vocem שתם *setam* cum ש *sin* in principio, quæ apud Hebræos emergit ex radice שתם *setam*, *obturavit*, *clausit*, *constipavit*; & in præterito *Pahul*, nempe in secunda conjugatione passiva, cujusmodi est præfata vox, reddit *obturatus*, *clausus*, *& obtenebratus est*: non autem depingitur per aliam vocem

(1) Num. 17. 3.
(2) Num. ibid.
(3) Uti sunt Aben-Ezra, Kimchius, Reolinus, Cajetanus, Sanctes, Vatablus, Tremellius, Junius, Munsterus, Clarius, Drusius, Buxtorfius, aliique in cap. 24. Num.
(4) Augustinus Steuch. Episc. Chisamensis in lib. Num. 24. 3

vocem שתם, *setum* cum *Samech* in capite, quæ ex radice סתם *satum* effluit, nempe *aperuit*, *reclusit*, & priori adversatur, veluti denotaret *claudere*, & *recludere* (1). Quare ad verum, legitimumque Hebræorum sensum eam vertit Hieronymus, nec adversatur his, quæ subjunxit Balaamus, *nempe dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus*; etenim cum sermo sit allegoricus, ipsemet Balaamus suam exponit mentem, veluti diceret, vir *occlusus oculo*, & *apertus oculo*, hoc est, cujus oculus antea occlusus fuerat, deinceps apertus fuit: & qui prius cæcutiens auguria, & falsorum deorum oracula quæsierat; dein retectis mentis oculis veri Dei oracula fudit, quibus congruunt, quæ succedunt versiculo 5. *retectus*, & *revelatus oculis*. Ita Malvenda.

XIV.

Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem. Deut. 1. 1.

Nec enim transibis Jordanem istum. Deut. 3. 28.

Negotium non leve isthæc Deuteronomii loca sacris intulerunt Interpretibus ad sciscitandum *cis* ne, vel *ultra* Jordanem extiterit Moyses, quando populum Israel allocutus legem Domini iteram indixit, ex altero enim horum textuum Moysen trans Jordanem tunc permeasse liquido constat, ex altero vicissim eidem hujuscemodi transitum enixe expetenti ad terram Chanaam lustrandam, Divino interdictum fuisse præcepto, plane quoque manifesta antilogia evincitur; Quum ipsi dicenti: *Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Jordanem*, Dominum ira percitum propter populum respondisse legamus: *Sufficit tibi; nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasga, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, austrumque, & orientem, & aspice: nec enim transibis Jordanem istum* (2). Tractatus Theologico-politici Scriptor, qui philosophandi libertatem affectans, non tantum veræ pietatis, solidæque Theologiæ fundamenta convellit; sed sanam Politicem, ac rectam philosophandi rationem funditus evertit, ut exitialem, pestiferam nimisque nostræ huic ætati contagiosam Deistarum hæresim evulgaret, præsertim adversus Moysen undecumque venena collegit, & in Deuteronomium insurrexit, argumento ex Aben-Ezra mutuato, præfatam Scripturarum antithesim sic exalrans, jactansque. Deuteronomii versiculo primo legimus. „ *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad*

„ omnem

(1) Consule Malvend. in hunc locum, Pagninum, Buxtorf. aliosque.

(2) Deut. 3. ex v. 23. ad 28.

„ *amnem Israel trans Jordanem*. At isthæc si scripsisset Moyses, non
„ trans Jordanem, ut heic, & alibi etiam in Deuteronomio, sed cis
„ Jordanem scribere se notasset, quippe qui Jordanem numquam fue-
„ rit transgressus; interdictus enim hujusmodi transitus illi erat, ut ex
„ relato Deuteronomii testimonio, & ex aliis Sacri Codicis libris (1)
„ luculenter liquet. & campestria Moab, in quibus Moyses extre-
„ mum ad Judæos verba faciens legem iteravit, non erant profecto
„ trans, sed citra Jordanem (2). At ut procul abigatur, & prorsus
evanescat tam jactata antilogia, consulamus Hebraicum codicem, in
quo legimus בעבר *Begheber*, hoc est ad verbum, *in transitu*; quæ
locutio quandoque citeriora, nonnumquam vero loca ulteriora desi-
gnat, uti vox ipsa hebraica עבר *gheber*, *trans*, quando ceu præpo-
sitio usurpatur, non solum *trans*, sed & *cis* sonat apud Hebræos, nec aliud
isti recognoscunt vocabulum, quo citeriora loca indicare valeant. Qua-
re Pagninus in thesauro (3) docet „ Præpositionis naturam induit sæpe,
„ & valet *trans*, *ultra*, vel *cis*, *citra* pro loci, & loquentis ratione,
„ sicut & Evangelistæ græco πέραν sunt usi. Erre quum cis intelli-
„ gunt Hebræi dicunt בעבר *Begheber*, quum vero *trans* מעבר *meghe-*
„ *ber*. alioquin addunt sæpe aliquid, quo discernatur, ut quum de
„ Jordane loquuntur dicunt *trans*, vel *cis* Jordanem juxta situm ejus,
„ qui loquitur, sicut etiam idem verbum *ad latus*, *ex adversa*, *a re-*
„ *gione*, *contra*, *ultra* „ quoque designat. Sic in variis Scripturæ locis
varie usurpatur (4). Hac ex causa Gussetius (5) arbitratur vocem בעבר
Begheber, quæ sub initiis Deuteronomii habetur, ceu nomen absque
ullo respectu excipiendum esse, velut diceret *in ora Jordanis*; ait enim
„ Et quum non modo possit significare *ultra*, sed etiam *citra*, pro
„ citra sumi deberet, quia Moyses in una ripa Jordanis constitit,
„ adeoque in eadem locutus est, & scripsit: sed videtur potius sumi
„ absolute sine illis relationibus *citra*, & *ultra*, & dumtaxat *pro ora*,
„ *&* *ripa* fluvii, cui adstans hæc verba fecerit; potest autem sic ab-
„ solute sumi, cum simile quidpiam videamus in omnibus fere exem-
„ plis præcedentium paginarum. Imo non est, quod Moyses dicat,
„ se esse citra fluvium, nam loquens ad quamcumque ripam fuerit,
„ semper est in *citeriori* respectu sui. Attamen hoc peroptime reddi-
disse Vulgatam nostram *trans Jordanem*, eamque fuisse Moysis men-
tem, dum isthæc scripsit, ex proprietate Hebraici idiomatis unice evin-

E eimus,

(1) Num. 32. 20. Josue 1. 14.

(2) Id habet Tractat. Theologico-Politici Auctor, ut ferunt Benedict. Spinoza cap. 8. Consule Petrum Daniel. Huet. Episcop. Abrincens. in Demonstr. Evangel. prop. 5 cap. 14.

(3) Pagnin. in Thes. ad hanc vocem.

(4) Deut. 3. 8. citra Jordanem, nam Moyses tunc erat in Galaadica agro uti Num. 32. 20. & Josue 1. 14. etiam citra; nam sermo est de Populo, qui erat citra Jordanem. Ultra vero designat Deut. 3. 20. & 25. ubi agit de Chanan, sicut etiam Jos. 2. 10. & 7. 7. & aliter alibi.

(5) Jacob. Gusset. ad præfat. vocem.

cimus, etenim vox hebraica בעבר *Begheber*, seu *in transitu*, & latine *trans*, quum suapte natura anceps sit, & multiplex secundum Hebræorum & Latinorum captum, quia ex diversa directione motus in alterutram fluvii ripam, pro utraque fluvii ora usurpari valet, ideirco non aliunde definiri potest, & ad præfixos redigi cancellos, quam ex loco, ubi persona exsistit in ordine ad locum, quo tendit. Exinde quoniam Moyses omnem Israel alloquens tunc erat in *solitudine campestri contra mare rubrum inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Haseroth*; ut habemus ex Scriptura ipsa (1); quæ solitudo, & loca sita erant in una Jordanis ora (2), & loquebatur respectu ad terram Chanaan, nempe terram promissionis Dei, profecto proprie loquendo *trans*, & non *cis* Jordanem dicere debuit secundum Hebraicæ linguæ proprium idiotismum; quare quod ad se, erat *cis*, quod ad Palæstinam, erat *trans*, & licet non esset transgressus Jordanem, quod ad Palæstinam loquendo, reapse pe tulit trans Jordanem, uti Vulgata legit: & in hac intelligentia nec minima antilogia ultro citroque elucet (3).

EX SACROSANCTIS
JESU CHRISTI EVANGELIIS
ANTILOGIÆ
Ad incudem græcam recusæ.

SAcrosancta Jesu Servatoris Evangelia, quæ secundum Latinos bona nuncia sunt, seu teste Paullo (4). *Verba veritatis, in quibus credentes signati sumus spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, quamquam ex Augustino (5) „ inter omnes divinas auctorita- „ tes, quæ sacris litteris continentur, merito excellant: quod enim „ Lex & Prophetæ futurum pronunciarunt, hoc redditum, atque com- „ pletum in Evangeliis demonstratur, „ ut innuit etiam Paullus (6) ad Hebræos: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, nempe per Evangelia, nihilo tamen secius non defuere, qui eadem aut quod ad catholicam veritatem, quam comprehendunt, aut quod ad eorum versiones, etiam singula quod ad verba miniatula obsignarunt cera. Inter alia

(1) Deut. 1. 2.
(2) Hadrianus Relandus in Palæstin. Sacra lib. 1. cap. 35. & 36.
(3) Videat Cornel. Jans. Iprens. in cap. 1. Deuter.
(4) Ad Ephes. 1. 13.
(5) August. lib. 1. de consens. Evangelist. cap. 1.
(6) Ad Hebr. 1. 1.

alia autem, quæ adversus illa seu infrunito, ut Hæretici, seu veritatem perscrutandi ergo, ut Orthodoxi, protulerunt animo, non paucas antilogias ex illis congessere, quas potissimum ex græco fonte excerpserunt. Nos autem ne latum quidem unguem a re nostra excedamus, ex hisce nonnullas potiores hic ex Græco ipso idiomate diluсidandas exhibemus.

EX MATTHÆI EVANGELIO

XV.

Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum. Matth. I. 25.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Lucæ I. 34.

EVangelica isthæc verba, quæ & apud Matthæum, & penes Lucam leguntur, ceu sibi invicem adversa reputarunt Helvidius, Jovinianus, Ebion cum suis asseclis (1), aliique Antimariani Hæretici, qui perperam præfatum Matthæi textum interpretantes, inde evicerunt Virginem Deiparam maritali toro sociam Josepho fuisse postquam progenuit, *peperitque Filium suum primogenitum*, qui ea de re primogenitus a Matthæo heic vocitatur, quod plures alios habuerit fratres, sororesque post suum ortum utique virgineum, ex Joseph semine progenitos: quod etiam ex alio Matthæi loco excerpunt, ubi sic de Christo scribit (2): *Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum ita, ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri Filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? & Sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Quamobrem immaculatam Deiparæ, suique Sponsi virginitatem perperam evertere impio maledicto conati sunt nefarie asserentes, Virginem post partum virginitatem ex Joseph connubio amisisse. Eapropter ceu huic textui Matthæi adversa rejiciunt, & quæ Virgo ipsa Gabrieli respondit apud Lucam: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco;* & quæ per Ezechielem de Virginis intacto ute-

(1) Inter hosce primus Ebion vixit æræ christianæ sæculo primo, & præter dogmata de legalibus cum lege nova observandis illis cum Cerintho commune asseruit, Christum ex Viri semine fuisse progenitum. Helvidius vero, & Jovinianus sæculo 4. quorum posterior virginitatem haud matrimonio præferendam esse exemplo etiam B. Virginis, quæ plures habuit ex Joseph filios, impie docuit; prior vero perpetuam SS. Deiparæ virginitatem impugnavit asserens, ipsam uno fuisse Virginem post partum, sed Josepho conjuge filios procreasse; propterea Helvidiani ab Epiphanio Antidicomarianitæ appellantur.

(2) Matth. 13. 54. & sequ.

utero Deus ipse testatur (1), ut unanimiter interpretantur Patres, & Doctores (2), nempe *Porta hæc clausa erit . non aperietur, & vir non transibit per eam, eritque clausa Principi*. Ad hos nefarios homines avertandos, refellendosque calamum strinxerunt Sancti Patres Epiphanius (3) Chrysostomus (4) aliique non pauci, quos inter Hieronymus (5) validissimis hisce argumentis, quibus frequenter utuntur Theologi, Helvidium præsertim confutat. Particula *donec*, qua utitur Matthæus, etsi neget ante partum, nihil tamen affirmat de tempore posteriori, quemadmodum ex alio textu Matthæi, *antequam convenirent inventa est in utero habens &c.* (6); „ non sequitur, quod postea con„ venerint, sed Scriptura, quid factum non sit, ostendit „ ita dum scribitur *non cognoscebat eam donec peperit &c.* non recte evincitur, quod postea cognoverit, sed Evangelista vocem *donec* adhibuit ad ostendendam rem miram, & inauditam ante partum, nempe Jesu Christi genesim absque Patre, una dumtaxat ex Matre Virgine. Hac Hieronymi intelligentia vocula ipsa *donec* frequenter in sacro eloquio usurpatur, de tempore præcedente scilicet rem aliquam, seu actionem, non autem subsequente, ut in libro Geneseos de corvo dicitur *qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ* (7). Quemadmodum *Primogenitus* quoque Mariæ a Matthæo nuncupatur Christus, non quod post se habuerit fratres, sed quod nemo ante illum genitus sit; uti de more in Scripturis unigeniti etiam primogeniti appellantur, sic in Exodo (8) legimus *Deum percussisse omnia primogenita Ægypti*, quæ inter dubio procul *unigeniti* quoque extiterunt & in eodem Exodi libro Deus jubet *omne primogenitum sibi sanctificari*, quibus profecto unigeniti quoque adcensentur, alioquin tunc nullus sanctificari potuisset Domino, nisi alii minores nascerentur, quod sane erat contra legem, & ritum Hebræorum & tandem Apostolus (9) ipsummet Christum *Primogenitum*, hoc est *unigenitum* Dei appellat, ut fides docet. Neque ob aliud Evangelista potius *primogenitum*, quam *unigenitum* dixit, nisi ut dignitatem, & jura præcipua, quæ antiquitus etiam ante legem Moysis primogenitis adcensebantur,

Chri-

(1) Ezechiel. 44. 2.

(2) Allegorice omnes SS. Patres, & Interpretes per hujuscemodi portam Virgineum Deiparæ uterum, nulli, nisi uni Principi Deo pervium recognoverunt, quod & Zuinglius, & non pauci alii Hæretici etiam fassi sunt: atque ex hoc potissimum loco perpetuam ejusdem virginitatem ante partum, in partu, & post partum evincere fategerunt Consul Jacobum Tirin. comment. in Ezechiel. 44. 2.

(3) Epiphan. hæres. 75.

(4) Joan Chrysostom Hom. 4. in Matt.

(5) Hieron Comment. in Matth. & lib. cont. Helvid.

(6) Matth. 1. 18.

(7) Genes. 8. 7. & versus 28. 15. Ps. 71. 18. & Psalm. 2. 1 Reg. 15. 35. & 2. Reg. 6. 23. Job. 27. 5. Isai. 22. 14. Matth. 5. 18. 1. Corinth. 15. 46. & alibi.

(8) Exodi 12. 29. & 13. 2. & 22. 29.

(9) Ad Hebr. 1. 6.

Christo competere indicaret, principatum scilicet, Sacerdotium, & in hæreditate prælationem (1). Hæc sunt, quæ seu cum Hieronymo, seu cum aliis Patribus adversus præfatos Hæreticos proferunt Theologi: at nos ne a re nostra diverticulum facere videamur, ex fonte ipso græco simpliciorem, planioremque haurire enitimur recensiti textus intelligentiam. Dum legimus in Codice græco: *Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον*; nempe & *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, adverbium ἕως, & poetice εἷος est utique adverbium pro tempore indicando usurpatum, sed varios semper habuit penes Græcos usus & sensus, interdum adhibitum fuit pro tempore posteriori designando, ceu audiret *usque dum*, *quoad*, *quamdiu*, seu *donec*, & hoc pacto illud reddidit Vulgata, & passim in Græcis codicibus occurrit, interdum vero usurpatur ad designandum tempus præsens, ceu esset *interim*, *nunc temporis*, *interdum*, & etiam *semper*, aut *numquam*, quo captu idipsum non semel legimus & in Scriptura (2), & apud profanos auctores (3), quemadmodum verbum *πρωτότοκος* designat *primam prolem*, sive Filium primo natum, seu alii succedant fratres, seu non, ut communiter intelligunt Græci. His igitur animadversis ex Græco idiomate, en plana expositio præfati textus: *Et non cognoscebat eam, interim peperit Filium suum primo natum*; qua intelligentia omnis prorsus antilogia ablegatur: & licet Matthæus ipse alios Christo attribuere videatur fratres (4), illi tamen omnino Salvatoris consobrinos censet Hieronymus (5), dicendo. „ Quid in fra„ tres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deli„ ramenta apocryphorum, & a quadam Escha muliercula confingen„ tes: nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, „ continetur, fratres Domini non filios Joseph, sed consobrinos Sal„ vatoris, Mariæ liberos intelligamus Materteræ Domini, quæ esse „ dicitur Mater Jacobi minoris, & Joseph, & Judæ, quos in Evan„ gelio fratres Domini legimus appellatos; fratres autem consobrinos „ dici omnis Scriptura demonstrat (6).

Et

(1) Id habet Natal. Alexand. Comment. in Matt. cap. 2. n. 23.

(2) Matth. 5. 18. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ &c. seu *Amen quippe dico vobis, donec transeat Cœlum, & Terra &c.* nempe numquam aliquid præteribit a lege. Iisdem Marci 12. 36. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου, nempe *sede a dextris meis, donec*, seu *interim ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & alibi passim.

(3) Ita Homer. Odyss. μ. habet Οἱ δ' ἕως μὲν διακριδὸν Ἀχαιοὶ ... ἐόντες, &c. ubi Eust. ἕως exponit τέως, ἤτοι πρὸς τὸ παρόν. Consul Henr. Steph.

(4) Matth. 13. 54.

(5) Hieron. lib. 2. in Matth.

(6) Vid. Sixt. Senes. in Bibliot. S. tom. 2. lib. 6. adnot. 44.

XVI.

Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.
Matth. 2. 6.

Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda.
Michææ 5. 2.

Non una, sed plures antilogias hosce inter textus animadvertunt Interpretes (1): tanta enim Evangelistam inter, & Prophetam elucet diversitas, imo & adversitas, ut quidquid unus fatetur, diffiteri statim videatur & alter. Dum enim Evangelista, imo potius scribæ apud Evangelistam ex Michæa Propheta proferunt. *Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda*; Michæas ipse interprete Hieronymo habet. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus, seu minimus es in millibus Juda*. ubi animadvertimus Matthæum *nequaquam minimam* asserere Bethleem, at Prophetam dicere *parvulam* futuram; rursus Matthæum vocitare *Bethleem* regionem illam, quam Michæas nominat *Ephrata*; ac tandem Evangelistam neutiquam minimam recensere Bethleem *in principibus*, hocest *inter principes Juda*; cum Propheta vaticinetur parvulam *in millibus*, hoc est *inter millia Juda*: profecto antilogiæ sunt istæ, quæ non parum ingerunt negotii. Hisce ex momentis Hieronymus (2) „ hanc verborum, seu potius rerum diversitatem, & repugnantiam scribarum ignaviæ, & inscitiæ adscri„ bit, arbitraturque Matthæum ad arguendam scribarum negligentiam „ isthæc protulisse, ceu ab eis pronunciata; additque quosdam, perpe„ ram tamen, asserere Evangelistas per errorem nonnumquam ex ve„ teri testamento citasse testimonia, ut qui non ex libro dum scriberent, „ ea caperent, sed memoriæ crederent, quæ nonnumquam fallitur. At istorum sententiam velut enervantem veritatem auctoritatemque Scripturarum, quis non dijudicabit rejiciendam? Nonnulli alii arbitrati sunt Scribas, & Sacerdotes haud inepte, imperiteque, vel infideliter id respondisse, sed ingenue testimonium Michææ retulisse penes Matthæum, ceu tunc legebatur in editione Syriaca, quæ per manus Hebræorum tunc maxime versabatur. Quidam Scribas, & Evangelistam non tam verba, quam sensum Prophetæ reddere contendisse censuerunt, velut utique dicerent: „ Tu Bethleem parvulus quidem nunc es „ vicus in millibus Juda, sed ex te egredietur Dux, &c. perindeque ab utroque seu Propheta, seu Evangelista futuram Bethleem non minimam, sed maximam designari. Fuerunt & alii, qui culpantes Hieronymi

(1) Consul. Cornel. a Lapid. Com. in Matt. cap. 2.

(2) Hieron. in Michæam.

ronymi versionem in Michæam, ad ostendendum Matthæi testimonium a Michæa minime recedere, rati sunt Prophetæ verba sic reddi debere „ Et tu Bethleem Ephrata, parum est, ut sis inter Chiliades, „ seu Chiliarchos Judæ &c. arbitrantes scilicet masculinum illud nomen, quod Hieronymus vertit *parvulus*, & Septuaginta ὀλιγοστὸς ceu neutrius generis nomen reddendum fore, quo cum careant Hebræi, ejus vice seu masculinum, seu fœmininum adhibent, quo sane pacto eodem prorsus & Prophetam, & Evangelistam recidere arbitrantur, at id contra omnium opinionem profertur, neque ex hac coacta versione effluere videtur sensus Evangelistæ conformis, nam eodem redirent sic prolata verba Prophetæ, ac ea, quæ habet Isaias (1) · *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas*, & alibi (2) *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* quæ sane locutio si ad incudem revocetur, cum verbis Evangelistæ minime convenire conjicietur (3). Ne ultra tamen plus nimio in hisce referendis immorari videamur, satis nobis erit vel simplici intuitu lustrare verba Matthæi, ut in codice seu Græco seu Latino exstant, eaque cum verbis Prophetæ conferre, ut inde nullo negotio omnes procul abigantur antilogiæ. Sic namque in Græco legimus penes Matthæum · Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα &c. nempe latine : *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus seu principibus Juda &c.* At quid, nisi idipsum prorsus habet quoque Michæas ex nexu ipso sermonis dum dicit, *& tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda? &c.* etsi particulam adversantem, seu negantem non exscribat uti Matthæus; quis tamen non videt ex ipsamet loquendi phrasi illam effluere, ut in aliis Sacræ Scripturæ locis passim, frequenterque occurrit (4), ceu diceret, minima quidem es, si muros, si cives, si ædifi„ cia, si magnificentiam spectes · at nequaquam minima, si princi„ pes a te datos, in te natos, vel nasciturös miraberis · ex te enim „ natus est Rex David, & ex te nascetur Christus Davidis filius. & isthæc sane sunt quæ profert Matthæus. Quamobrem nihil ultra, ut hujuscemodi textus invicem concilientur, exigitur, nisi ut Michææ verba per interrogationem sic proferantur „ Tu Bethleem Ephrata „ num uti haberis, minima es in millibus Juda, seu minor es, ut „ connumerari valeas in millibus, vel principibus Juda? ac deinceps „ negando respondebitur. Nequaquam certe minima es, quia ex te „ exiet, &c. id nempe Evangelistam per negationem affirmare, quod per interrogationem Prophetam insinuare conjicimus ideo namque apud Michæam in Hæbreo interrogationis nota hujuscemodi verbis non affigi-

(1) Isaias 49. 6.
(2) Isaiæ 7. 13.
(3) Videat Cornel. Jans. Episc. Gandaven. comment. in suam concord Evangel. cap. 9 ad hunc Matt. text.
(4) Psal. 118. 141 & 157

figitur, quia Hebræis isthæc nota nunquam usui fuit. Serio igitur lustrata seu Michææ hebræa phrasi, seu Matthæi græca, in idem prorsus recidere utriusque verba deprehenduntur. Neque in reliquis, quæ animadvertuntur adversa, ulla antilogia relinquitur, si ad nominum etymon, & proprietatem animum apponamus. Adjecit namque præ Matthæo Michæas: *Et tu Bethlem Ephrata*, eo quod Bethleem erat binominis sic a Conditoribus vocitata, qui fuerunt *Bethleem*, & *Ephrata* ejus pater (1) præterea quia verbum *Ephrata* apud Hebræos eodem redit ac *seu locus frugifer*, & Bethleem quoque *domum panis* apud Hebræos indicare legimus (2) idcirco largiori, & strictiori phrasi idem excerpsit uterque. Neque quidpiam relinquitur dissonum, quod Michæas protulerit *in millibus*, & Matthæus *in principibus*, seu græce ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, aut Septuaginta ἐν τοῖς χιλιάσιν Ἰούδα, hujuscemodi namque æquivocationi occasionem exhibuit vox Hebraica אלף *Eleph*, quæ & *mille*, & *Ducem*, seu *principem* reddit, quare etsi diversa sint verba, eodem prorsus recidit utraque versio: etenim dum legimus in Principibus, idem valet ac inter principes, præcipuasque urbes Juda, vel etiam inter homines principes, præcipuosque, qui ex Juda prodierunt, aut prodibunt, dum vero Matthæus scripsit in millibus, dubio procul intelligendum exhibuit, quod inter civitates Juda, quæ non pauca millia populi continebant, eo quod in Chiliades, & millia familiarum a Moyse distributus fuerat populus Israel, quarum quælibet suos habebat principes (3), neutiquam ceu minima, & parvula relinquenda fuisset terra Bethleem.

EX MARCI EVANGELIO.

XVII.

Discerpens eum spiritus exiit ab eo. Marc. 1. 26.

Exivit ab illo, nihilque illum nocuit. Luc. 4. 35.

Alia non levis se offert antilogia in hisce & Marci, & Lucæ verbis, quibus uterque Evangelista exscribit Christi perpetratum miraculum apud Capharnaum Galilææ civitatem, quo possessum a spiritu immundo omnipotenti virtute liberavit. Dum enim Marcus designans concussiones, motus, & conturbationes, seu dæmonis obstrepentis, seu viri possessi in ipso spiritus exitu, dicit: *Et cum projecisset illum dæmonium in medium, & discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo*; quibus verbis Spiritum & concussisse, & dila-

(1) 1. Paralip. 4. 4.
(2) Genes. 35. 16. & 19.
(3) Exod. 18. 25. Judic. 6. 25.

laniasse, & veluti membratim discerpsisse virum illum videtur indicare; Lucas de eodem prorsus loquens, ait *Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit*. Si ergo eum discerpsit spiritus immundus, quomodo non nocuit? Et si non nocuit quomodo discerpsit? Manifesta sane est isthæc antilogia. At textum sedulo animadvertamus Græcum Marci, & nulla sane ultra relinquetur verborum adversitas. Ait enim *Καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, καὶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ*: *Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo*. Heic autem participium illud *σπαράξαν* serio librandum est, ut antilogia omnis ablegetur, nam participium illud emergit ex verbo *σπαράσσω*, aut *σπαράττω*, quod apud Græcos nedum promit *lacerare*, *discindere*, *mactare*, sed etiam, imo frequentius, a Græcis (1) excipitur, velut *membra contorquere*, *collidere*, *huc & illuc jactare*, *convellere*, *discindere vires*; unde *σπαραγμὸς* eodem recidit ac *convulsio membrorum*, hinc D. Augustinus (2) præfato in textu Matthæi pro *discerpens* legit *conturbans* idest *contorquens*, & Marci Interpres (3) vertit *conturbans*, inquit enim *Conturbavit illam, & elisus in terram volutabatur spumans*. Ira namque rabieque percitus Satan coactus a Christo egredi, qua potuit, plurimum obsesso nocere sategit, at voluit Dominus hominem volutari, projici, divelli, discerpi, ut & malitia Dæmonis, ejusdemque ob expulsionem indignatio, ac miraculi magnitudo maximopere patesceret, indeque expellentis potentia & agnosceretur, & adorraretur, quamobrem subjungit Scriptura: *Et factus est pavor in omnibus, & mirati sunt omnes*. His igitur expensis jam manifesto elucet, eadem ac Matthæus proferre Lucam, dum citato in loco dixit: *Exiit ab illo, nihilque illum nocuit*.

EX LUCÆ EVANGELIO.

XVIII.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Lucæ 11. 3.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Matth. 6. 11.

MAxime hujuscemodi textus sibi invicem adversari tenuerunt semper Patres, & Doctores, quorum exinde valde diversæ fuerunt sententiæ de pane isto in Dominica Oratione a Patre Cælesti petendo, idque

F

(1) Henr. Steph. aliique græce eruditi.

(2) August. lib. 4. de cons. Evang. cap. 2.

(3) Marci Interpres cap. 9. 19. apud Cornel. a Lapid. in Marc cap. 9. 26.

que potissimum ex verbis ipsis seu apud Lucam, seu penes Matthæum sive græce, sive latine exscriptis, emersit, etenim ubi in Græco codice apud utrumque Evangelistam idem fere legimus nempe *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον*, in Vulgata dum Lucas scribit *panem nostrum quotidianum* &c. Matthæus *panem nostrum supersubstantialem* reddit. Quamobrem nonnulli ex Patribus, quos inter præcipuus est Hieronymus (1) improbare videntur, panem hac petitione postulandum esse corporeum, quum in Græco habeatur *ἐπιούσιον*: quod verbum Septuaginta *περιούσιον*, hoc est *supersubstantialem* frequentissime transferunt, & in Hebræo invenimus סגלה *segala*, quod Symmachus *ἐξαίρετον*, idest *præcipuum*, vel *egregium* transtulit, quare sentiunt, per *præcipuum*, *peculiarem*, & *supersubstantialem* panem illum solum nos petere a Deo, qui dixit (2) „ *Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi*: nempe panem qui super omnes substantias est, universasque superat creaturas. Quod insignioribus reddit verbis Hieronymus ipse in epistola Paulli ad Titum (3) dicendo. „ Illud, quod in Evangelio „ secundum Latinos interpretes scriptum est, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, melius in Græco habetur, panem nostrum *ἐπιούσιον*, idest *præcipuum*, *egregium*, *peculiarem*, cum videlicet, qui de „ Cælo descendens ait: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*. „ Absit quippe, ut nos, qui in crastinum cogitare prohibemur, de „ pane isto, qui post paullulum concoquendus, & abjiciendus est in „ secessum, in prece Dominica rogare jubeamur. Quibus Joannes Cassianus addit (4) „ graviter eos offendere Deum, qui tam in hac, quam „ in ceteris postulationibus orationis Dominicæ aliquid corporeum ac „ temporale a Deo flagitant: maximam enim magnificentiæ, & munificentiæ Dei irrogabit injuriam, qui nihil caducum vult a se, nihil temporale implorari. Quare aut de pane cælesti, nempe de Jesu Christi corpore juxta literam, aut de pane spirituali justitiam, & virtutem spectante juxta allegoriam, Dominicam petitionem excipiunt (5). Alii vicissim non pauci, Chrysostomo duce (6), tenuerunt, petitionem istam quod ad corpus dumtaxat intelligendam esse, de pane videlicet quotidiano, & corporeo, nam qui dixerat: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra, id loquebatur hominibus carnis fragilitate circumdatis, ac necessitati naturæ interim subjectis, nec eamdem habentibus impassibilitatem, qua Angeli perfruuntur, at non propter divitias, ac delicias, sed

(1) Hieron. lib. 1.Comment. in Matt.
(2) Joan. 6. 51.
(3) Hieron.Comment. in 2. cap. Epist. ad Tit.
(4) Joann. Cass in collat. 9.
(5) Id præter jamlatos Patres habent quoque Cyprianus lib. de Orat. Dominic. Tertull. lib. de Orat. Marius Victor. lib. advers Arium. Vulgatus Ambros lib. 5. de Sacram. Gregor Nissen. Tract. de Orat. Cyrill. Hierosolimit. Catechef. mystagog 5 & alii non pauci.
(6) Joann. Chrysost. homil. 20 in Matth.

sed pro pane dumtaxat quotidiano jussit orationem fundere, & pro pane quidem quotidiano, ne pro crastino die simus sollicitii. Idque ex eo maxime evincunt, quod Arabicus vertat *panem sufficientem*, uti pariter Ægyptus, Æthiopicus, & Persicus, quemadmodum Hebraicum Matthæi Evangelium nuper editum habet תמידי *Temidi*, hoc est *jugem*, seu *quotidianum*, quo nimirum semper egemus, a verbo Hebræo תמיד *Tamid*, hoc est *semper*, quod alii dicunt דבר יום *Dabor jom*, hoc est *verbum*, seu *rem diei* ad insinuandam rem jugiter ad nostram sustentationem necessariam (1). Quamobrem priores Patres Matthæi panem *supersubstantialem*, posteriores vero Lucæ *quotidianum* reddiderunt. Nos autem strictim omnia colligentes ex Græco uno idiomate rem ipsam absolvere satagemus. Verbum igitur græcum ἐπιούσιος, seu περιούσιος, quo Evangelistæ utuntur, emergit ex voce οὐσία idest *substantia* seu *essentia*, aut *natura*, unde derivant innumeræ aliæ voces, nempe ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος, ἑτεροούσιος, & aliæ id genus, nempe *ejusdem*, *similis*, & *diversæ substantiæ*, quare vox ipsa ἐπιούσιος, aut περιούσιος, secundum nexum præpositionis ἐπί, aut περί cum voce οὐσία eodem redit, ac *supersubstantialis*, & rectius usurpari potest omissa præpositione *super*, veluti esset res *substantialis*, *essentialis*, vel *naturalis*, nempe substantiæ nostræ congruens; vel intellecta eadem præpositione, ceu redderet *in*, hoc est in subsidium, aut sustentationem, aut conservationem nostræ substantiæ (2): quo pacto seu Græci, seu linguæ græcæ eruditi (3), passim eamdem vocem exponunt. Quemadmodum vox ἄρτος etsi frequenter a Græcis usurpetur pro pane, cum deducatur tamen ab ἄρω seu ἄρω, quod est *capio*, *sumo* (4), ex quo deducitur ἀρμαλιά, *cibus*, adhibetur etiam a Græcis non pro pane tantum frumentario, sed pro quocumque cibo, & pro quopiam subsidio ad vitæ nostræ sustentationem necessario. Hac de causa dum apud utrumque Evangelistam legimus græce τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον in idem sane isthæc recidunt, ac da nobis cibum, victum, seu indumentum, seu omne subsidium ad vitæ necessitatibus subveniendum opportunum, & nedum quod ad corpus attinet, sed etiam virtutes & auxilia ad spiritum ipsum per rectum iter dirigendum, idemque Christi corpus, quo sub specie panis in sacrosancto Eucharistiæ Sacra-

(1) Id præ ceter. intelligit Basil. in Regul. brevior. Interrog. 252. August. in Epist. ad Probam olim 121. nunc 130. & alii seu Græci, seu Latini. Imo nefarius Calvinus lib. 3 Instit. cap. 12. sect. 44. exinde insimulandi, sugillandique nostros Patres, & Theologos momentum arripit asserens „ mutilam esse „ precationem, nisi in hac altera caduca vita Deo nutritii partes tribuamus. Quod & Philipp. Melancton in loc. commun. Tit. de Invocat. & precat. potissimum jactat.

(2) Ita Theophylactus in comment. in Matth. & D. Basil. in quæst. compend. explicat. quæst. 252. aliique.

(3) Henr. Steph. Suid. ceterique linguæ græcæ peritissimi.

(4) Ut habet Voss. in Ætymol. Eustath. Henr. Steph. aliique.

cramento frequenter vescimur, veluti præcipuum vitæ spiritualis præsidium: nostra namque substantia non ex uno corpore, sed ex corpore simul, & spiritu coalescit. Quamvis igitur Vulgata eadem græca verba apud utrumque Evangelistam, exscripta *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον* modo reddat *panem supersubstantialem*, ut apud Matthæum, modo *panem quotidianum*, ut apud Lucam, eodem tamen prorsus absque ulla antilogia recidere intelligimus, quo etiam introspecto Græco idiomate vergere conspicimus ea omnia, quæ de hac re protulerunt Patres, & Doctores, & aliæ versiones supra relatæ reddiderunt (1).

EX JOANNIS EVANGELIO.

XIX.

Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaide quinque porticus habens. Joan. 5. 2.

Est autem in Hierosolymis super probatica, piscina cognominata Hebraice Bethesda &c. Ibid. Græce.

GRæcum inter, & Latinum codicem sanctis hisce in textibus duplicem recognoscunt antilogiam & Patres, & sacræ Scripturæ Interpretes, alteram in vocibus *Probatica Piscina*, alteram in voce *Bethsaide*. Ubi namque in Vulgata apud Joannem legimus *Erat Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaide &c* in Græco Canone exscribitur Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, seu ad verbum: *Est autem Hierosolymis in Probatica, stagnum cognominatum Hebraice Bethesda* &c. Ex quibus statim cuilibet vel leviter lustranti primum occurrit Latinum legere *probaticam piscinam*, nempe & nomen adjectivum *probaticam*, & nomen substantivum *piscinam* ambo in casu recto, veluti diceret tunc Hierosolymis exstitisse *piscinam*, seu lacum *probaticum* nempe *pecuarium*, vel *ovinum*; *πρόβατον* enim Græcis est ovis. Græcum vero codicem promere in *Probatica stagnum*; nempe primum adjectivum atque *προβατικῇ* in dandi casu junctum præpositione *ἐπὶ*, seu *in* vel *super* subintellecto substantivo *via*, vel *loco*, vel *foro*, seu in probatica via, seu in loco ovium, alterum substantivum in casu recto, scilicet *stagnum*, vel lacum, veluti diceret fuisse Hierosolymis locum, seu forum ovibus præfixum, in quo erat stagnum &c., non autem piscinam ipsam appellatam fuisse *probaticam*, seu *pecua-*

(1) Videatur Sixt. Senen. in Biblioth. 2. 2. quæst. 83. art. 6.
sanct. tom 2. lib. 6 adnot. 31. & D. Th.

cuariam ; incongrue enim diceritur piscina pro ovibus, quæ piscibus dumtaxat usui esse potest · utraque igitur lectio valde diversa est, imo & adversa. Itemque neminem præterire Latinum legere *Bethsaida*, cum Græcus habeat *Bethesda*, quæ nomina & re, & voce inter se invicem valde remota etiam apud Hebræos ipsos, imo & pugnantia sunt. *Bethsaida* namque primum non erat piscina, sed alia regio prope Hierusalem, quæ fuit patria Petri, & Andreæ, & dein secundum etymon hebraicum *Bethsaida* emergit ex nomine בית *Beth*, seu *Domus*, & ציד *tsaid*, seu *venatio*, velut esset *domus venationis*; *Bethesda* vero effluit ex nomine בית *Beth*, seu *Domus*, sive *locus*, Hebræi namque omnem locum vocant domum, uti agrum donum seminis appellant (1), & אשדה *esda*, sive *effusio*, idest *Domus effusionis*, quod e tectis, vel alio eminentiori loco collectæ aquæ affunderentur in ipsam, ut scribit Hieronymus. Isthæc sane valde diversa sunt, & inter se minime conjiciuntur convenire. At Græci idiomatis ad normam quid de hac re dicendum sit ex Græcorum Patrum doctrina potissimum perscrutemur. Quod ad primum Theophylactus (2) sic ex Græcis animadvertit: „ Probatica autem dicebatur „ piscina, eo quod oves illic ad sacrificium congregabantur, & intestina eorum abluebantur. Porro locus iste non vocatur hic piscina, „ eo quod in eo pisces vivi asservarentur. Est enim græce hæc κολυμ- „ βήθρα, quæ dictio proprie significat natatoriam, aut natabulum: de- „ ducitur enim a voce κολυμβᾶν, quod est *natare*. Unde & cap. 9. „ Joannis, eamdem dictionem noster Interpres vertit per natatoriam: „ *Vade, lava in Natatoria Siloe*. Nec tamen hic male vertit. Nam „ quamquam piscinæ dictæ sint a piscibus, qui vivi in eis servaban- „ tur, tamen generaliter postea Latini piscinam pro natatoria accepe- „ runt, imo, & vasa lignea ampliora a Plinio piscinæ vocatæ sunt. Quamobrem non locus distinctus, seu forum, sed ipsa piscina etiam in textu Græco *probatica*, seu ovalis nuncupatur, & præpositio ἐπὶ adiecta vel redundans deprehenditur, vel euphoniæ gratia ad idiomatis emphasim effingitur. Idque firmat Hieronymi auctoritas, qui (3) apud Græcos codices ex prisca ætate superstites, se legisse fatetur dictionem *probatica* absque ulla propositione in recto casu, velut adjectivum substantivi *piscina* additque statim „ Bethesda piscinam in Hierusalem, „ quæ vocabatur προβατικὴ, & a nobis interpretari potest pecualis. „ Hæc quinque quondam porticus habuit, ostenduntur que gemini la- „ cus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet, alter mirum in „ modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa te- „ statur. Nam hostias in eo lavari a Sacerdotibus solitas ferunt, unde

„ & no-

(1) Cornel Jansen Gandav Comment. in Concord Evangel cap. 36. Cornel. a Lap. Com. in Joann. cap. 5.

(2) Theophyl Comment in Joann

(3) Hieron. in lib. de locis Hebr

„ & nomen accepit. Variæ enim tunc erant piscinæ in Hierusalem, quarum meminit Scriptura, nempe piscina superior, quæ erat extra Civitatem in via agri fullonis (1), piscina inferior, quam construxisse Ezechiam scribitur (2). Piscina vetus, quam Isais scribit (3) fuisse inter duos muros. Piscina *Bethesda*, quæ a Salomone constructa dicitur pro ministerio templi, eamque Josephus in descriptione Hierusalem, vocat stagnum Salomonis, & de hac Joannes dicit (4) quinque habuisse porticus, & latine *probaticam*, hebraice vero *Bethsaida* dictam fuisse. Et Piscina denique Siloe, cujus meminit Joannes (5). Ex his luculens ad aliam, quæ in eodem textu occurrit verborum diversitas, elucet interpretatio, etsi namque Vulgata legat *Bethsaida*, seu *domum venationis*, cum Græcus codex habeat *Bethesda*, seu *domum effusionis*, cui respondet Chaldæus, qui legit *Bethseda*, seu etiam *effusionis domum*, Arabicus tamen, cui respondet Vulgata exscribit etiam *Bethsaida*, nempe *piscinam Ovium*, ex qua non pisces, sed oves ablutas venabantur, & capiebant Nathinæi, quas Sacerdotibus porrigebant ad offerendum eas in templo; quare etsi diversitas quod ad vocem attinet, in re tamen eodem recidere conjiciuntur.

F I N I S.

k

ANTI-

(1) 4. Reg. 18. 27. & Isaias 7. 3.
(2) 4. Reg. 20. 20. 2. Paralip. 32. 29. hujus memit. Isaias 22. 10.
(3) Isaias 22. 11.
(4) Joann. 5. 2.
(5) Joann. 9. 11.

ANTILOGIARUM INDEX.

XII.

XII. *Fueruntque Virgæ duodecim absque Virga Aaron.*
Ad domum patrum suorum duodecim Virgas, & Virga Aharon in medio Virgarum eorum. XXX.

XIII. *Dixit homo, cujus obturatus est oculus.*
Et dixit vir, cujus est apertus oculus. XXXI.

XIV. *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem.*
Nec enim transibitis Jordanem istum. XXXII.

XV. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.*
Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? XXXV.

XVI. *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda.*
Et tu Bethleem ephrata parvulus es in millibus Juda. XXXVIII.

XVII. *Discerpens eum spiritus exiit ab eo.*
Exiit ab illo, nihilque illum nocuit. XL.

XVIII. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. XLI.

XIX. *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida quinque porticus habens.*
Est autem in Hierosolymis super probatica, piscina cognominata hebraice Bethesda. XLIV.